

HIVVS OPERIS LAVDES

“The glory of the book is the exuberant language: this is not Cicero’s Latin, but more like a post-modern Tacitus, a latter-day Lucan, a spiritual descendant of M. Terentius Varro. ...There are descriptions galore...a long, satirical evocation of Seattle...and a description of LA that would be at home in Hugo or Dickens. ...Its blend of modern form, modern scientific or philosophical motifs, and ancient language is almost *steampunk* in style.”

—Anne Mahoney, *The Classical Outlook*

“Professor Berard, id quod animo fingi aegre potest, longissimam saturam conscribere potuit illo litterarum genere incitatus quod solutam orationem poeticae miscet nomineque ‘fabulae Menippeae’ designari solet necnon et scriptis illius lepidissimi auctoris Ernesti Theodori Amadei Hoffmann. His igitur saporibus saturam Americanam suam condit cuius in exordio hexametris lacescit – quod quidem optime congruit – institutum illud omnium Americanissimum: Disneylandia. Hic novus scriptor lingua Latina ita utitur ut vel omnium peritissimi musici, ‘virtuosi’ dicti, in animum

revocentur. Hoc ingens opus, id quod Cicero quondam de Lucretii carmine, ‘multis luminibus ingeni, multae tamen artis’ esse dicam. Ei qui Apuleium, illum praecepitis ingenii scriptorem ingeniosarumque locutionum inventorem, *Metamorphoseon* sive *Asini Aurei* conditorem, nullum secundum opus exquisitum nobis praebuisse lamentantur valde gaudebunt opus Professoris Berard, saeculi vicesimi primi Apuleii, cognoscentes.”

—Dr. Albert R. Baca, Professor Emeritus

Department of Modern and Classical Languages

California State University Northridge

“Saeculo hoc vicesimo primo exstant adhuc Apulei. Stephanus enim Berard Latinis lectoribus veram offert fabulam Milesiam, in qua oratio soluta miscetur cum hexametris, mythistoria cum philosophia, conspicua cum arcanis, moderna argumenta cum stilo antiquo, idque maxima cum ubertate et inventionis copia. Ii, quibus notus est Ernestus Theodorus Amadeus Hoffmann, in hoc opere agnoscent ‘realismum phantasticum’ cuius scriptor Germanus dicitur esse inventor, et quo auctor ipse profitetur se valde esse imbutum. Bone lector, linguam haud semper facilem dum adgredi valeas suffusus eris flumine quasi Felliniano.”

—Dr. Gaius Licoppe et Francisca Deraedt, *Melissae* editores

“Stephanus Berard, qui opera quaedam sermone Latino exarata iam composuerat (v.g. *De philosophia quantali deque institutione publica*), etiamsi nonnulla ex antiquorum scriptorum operibus non sine acri sumpserit ingenio, tamen et in versibus pangendis et in sermone


conficiendo semper est suus, utpote qui omnia concinne, lepide, scite narret. Oratione modo gravi modo faceta utitur hic professor linguae Latinae peritissimus, adeoque fluenti, ut haec fabula, quae etiam vocum sententiarumque varietate singularis est, ad alliciendos legentium animos perapta esse videatur. Quare optandum est, ut huic operi eiusque scriptori, quem iure dixeris hac in ‘Menippea’ palmam adeptum esse, vultu adrideat fortuna sereno.”

—Victorius Ciarrocchi, adsiduus “Gregis Latine Loquentium” particeps ac scriptor

CAPTI

CAPTI

Fabula Menippeo-Hoffmanniana Americana



Stephani Berard

CATARACTA PUBLICATIONS
Wenatchee, Washington

AuthorHouse™ LLC
1663 Liberty Drive
Bloomington, IN 47403
www.authorhouse.com
Phone: 1-800-839-8640

© 2011 by Stephani Berard. All rights reserved.

*No part of this book may be reproduced, stored in a retrieval system, or transmitted
by any means without the written permission of the author.*

Published by Author House 09/27/2013

ISBN: 978-1-4567-5974-2 (sc)
ISBN: 978-1-4567-5973-5 (hc)

Library of Congress Control Number: 2011905369

*This book is a work of fiction. Any reference to historical events, real people, or real
places are used fictitiously. Other names, characters, places, and events are products
of the author's imagination, and any resemblance to actual events or places or
persons living or dead, is entirely coincidental.*

This book is printed on acid-free paper.

VENERI APOLLINI QVE

SACRVM

PRAEFATIO

Ad Editionem Altram et Retractatam

Post fere biennium hanc fabulam relegens, ut fieri assolet, minus ea quae me scripsisse opinatus eram quam ea quae vere scripseram tandem dispicere potui. Correctis igitur digiti lapsibus aliquot, excuto nonnihil macrorum usu, sanatis paucis versibus prius claudicantibus – quis enim poetam mediocrem post tot pedes pactos paulo meliorem factum miretur? – hoc novum exemplar, a priore tantummodo paucis singulis minimis differens, summisso animo lectori offero.

STEPHANVS BERARD

Aquis Albis Vasintoniensibus, Mense Iulio anni MMXIII

Omnibus mihi in hoc opere condendo umquam opitulatis quive animos mihi confirmaverunt gratias gratias ago, praesertim Diana Johnson, Victorio Ciarrocchi, Gaio Licoppe, Francisca Deraedt necnon illi poetae qui olim hortatus est ut poesi meae architecturam aliquam maiorem pararem: Roberto Duncan.

CAPITVM TABVLA

Praefatio

Ad Lēctōrem

1. Rēgna Magica, Pars Prīma	3
2. Terra Lignea	17
3. Rēgna Magica, Pars Altera	27
4. Vlträ Lūcum	47
5. Iungala Attalica	67
6. Fābellae Biporcīnae Pars Prīma <i>sīve</i> “Quae Callēbat Valthus”	93
7. Saltus Alius	113
8. “A Mind Is a Terrible Thing to Lose”	129
9. Vēlum Inlevābile: Pars Prīma	159
10. Vēlum Inlevābile: Pars Altera	201
11. Cīcna Ātra	233
12. Hortī Īfernālēs	243
13. Fābellae Biporcīnae Pars Altera <i>sīve</i> “Quae GZ-117 Scīre Nequībat”	275
14. Apocolocyntōsis: Pars Prīma	285
15. Vrdār	327
16. Apocolocyntōsis: Pars Altera	359
17. Arcula Obscūra: Pars Prīma <i>sīve</i> “Necropōlium”	393
18. Arcula Obscūra: Pars Altera <i>sīve</i> “Sekhmet”	431
19. Arcula Obscūra: Pars Tertia <i>sīve</i> “Frūstula Pānis”	457
20. Avis Ignea	485
21. Vegetī Mortuīque	545
Epilogus Hesternus	563
Epilogus Hodierius	569
Epilogus Arcānus	573

Epilogus Perpetuus	575
Index Locūtiōnum Novārum Difficiliumque	587

Ad Lēctōrem

Sī sollemnia dicta togātaque somnia quaeris,
attere Vergilium aut scalpe relicta forū.
Sī nova verba meō plēctrōrum ex ōrdine pellis,
dēmās largōs et sarcophagīs calamōs.
Antīquum ingenium sī mūtō saepe recentī,
aevīs perlongīs plūribus hoc tribuās.
Hic Mūsae servit leviōrī língua Latīna,
serpēns quae satura est scit tamen īcere tē.

. . . kurz, der Geist trägt den Körper wie ein unbequemes
Kleid, das überall zu breit, zu lang, zu ungefügig ist.¹

—ex *Prinzessin Brambilla*,
auctōre E. T. A. Hoffmann

αἰὸν παῖς ἔστι παιῶν, πεσσεύων· παιδὸς ή βασιληίη.²

—Hērāclītus

¹ “... nē multa, sp̄iritus corpus gerit velut
incommodam vestem ubīque nimis lātam,
nimis longam, nimis inhabilem.”

² “Vīta est puellus lūdens, latrunculōs
movēns: puellī est rēgnum.”

I

Rēgna Magica, Pars Prīma

Centuriātim ululant fugientēs – ēia! – puellī
Terram Disnēi. Mūrēs et pūmiliōnēs
lāpsant et gryllī cum daemonulīs prasinātīs,
rattīs persimilēs sē ex immergente carīnā
5 ēnīxīs, fugitant praeter cubitōs ibi mātrum
prōlis amaxiculās prōpellentēs prope portās,
hīc cīnēmatomāchinulam nitidam iam nūllum
in nānum intentam tentam pugnō genitōris
dētrūdunt. Longinquē autem eximiōs post quercūs
10 ac quassantia summa salignea perfuriōsē
illīus Statuum Coniūnctōrum Decumānae
cernitur interdum Cervīnī Montis acūmen
adsimulātum, iam dēhīscēns parte sinistrā

- nec cinerēs vomitāns nec magma aut flūmina fūmī
15 ēvolvēns. Oblīqua reclūdit vastula plāga
(at nōn geōlogicē!) suffūsa ēlectronicā aurā
igniculīs et caeruleīs ossa, ēn!, chalybeia,
contrabium cōnexiculīs contortuplicātum.
Omnia quae, quamvīs longē, dīlūcida sentit,
20 compāgem intortam hanc in singula solvere calleth
Spectātor, mīrē cui ardua iam patefacta.
Nec cum plēbe fugit cumque officiālibus ūnā,
seu pictōrātō ūrnātū seu veste forēnsī,
Terraē quae mundī cūncī laetissima fertur
25 esse, sed, īnsolitum!, contrā undās effugitōrum
accurrentēs dēcernit iam intendere cursum,
dīctōs contrā aequālēs hōs ut per vada salmō
rīvī firmiter appulsantia ad ūva reddenda,
missile furtīvum per fluctūs ūsque ad finem,
30 per gena prōpulsum in dēsiderium atque occāsum.
Inturbātus prōcēdit per praetereuntēs
ōtium agentēs, nunc fugientēs perpavibundōs
conspicēs illum ēvādentēs sīcut egēnum
patricīi in triviīs habitantem viscium oлentem.
35 Vt prīmum tum ferriviae sub trāminiductum
trānsit, quae dēnīs septēnīs orbe minūtīs
sē semel hortōs perhilarōs circumvehit hōsce,
ingentem strepitum sentit. Quō sē convertēns
dēfixōs videt illāpsī piscēs-hominēs – ēn! –
40 rūdere pontis, iaccā illīc umerum tunicātum

glaucā et nigrā Praedōnum propiusque lacertum
extrūsum ē fartūrā atque illīc sēmioperta
crūra ruīnāque īnfūsā tumidōque maīziō
parte superspersō tenilūdiacīsque deorsum

45 soccīs sursumque exuvīs adhūc bene mundīs
 curtatīs cincta albīs – crūra et quīs (miserandum!)
 est titulō hōce “Parātus LA™” scriptus tumulus iam!
 Ac subitō exoritur nunc impetus ēripiendī
 vīvum adhūc aliquem – quod nōn hīc, nempe, decēret

50 Observantī illī, cui mentem squāmea vēra
 invādunt: salmō pulsus sōlum ad sibi nōtum
 turbinibus quī ingentibus, ēsurgentibus omnis
 vīs, ēlectrificīnīs pāstum ad tunditur ūdum
 fēlīnum (pāstum tamen haud ā fēlibus umquam)

55 flūmina per varia et crēbrō volventibus annīs
 in regiōne inter Spectante Favōnium et Arcton.
 Quī “Prōgressūs” ante Deī fānum trucidatī
 sunt et sat similēs mōnstrō illī sacrificatīs
 omnia adaequantī, nīl ex nostrīs reverentī,

60 omnia sorbentī et simul omnia parturientī
 Nātūrae, quam nōs vocitāmus; namque nec illa
 Terrula quae Miculī est dīvīnīs frūgibus obstat,
 ac Miculus, quamvīs fictus, nīl est nisi rōdēns.
 Nunc aliquō rīvō salmō nunc vīvior innat,

65 alter nōn ūrīnātus prōfundius umquam,
 rictū taetrior haud fuit umquam squāmiger alter
 quippe quod in persanctō hōc fāno sustulit illa

māiestās Glabréorum Dívī Símiulōrum
dētrīmentum hoc, nōn magnum aut aequābile vērē,
70 dētrīmentulum utīque nec illīsō allice pēius
respectō penitus quot Nūmen perdiderit iam
nūperius Salmōnum dē speciēbus alumnīs,
contrā et centēna annōrum iam mīlia abisse
post cōnsanguineīs tōtīs Hominem Īnsipientem,
75 hui!, subitō orbātum quī quondam sēmipropinquī
– exceptō sānē nemorālī Grandipede ipsō
quī quā rīdiculē timidus pavidusque superstat,
adiectō quod adīre potest hic quaelibet arva
cultā ā faeëricīs dīs pūmilinūminibusque et
80 daemonibus Boreīs trollī quī ibī vocitantur
haudque ignōta illī prōlī quam exōtica glaeba
extrāterrestris peperit. Namque inde et Adōnis
nostrās ingemitus, quippe Elvis, vīsitat orbem!
Pectore quae volvēns Spectātor sēria noster
85 ānfrāctūs sequitur lāpsōrum vastitiemque
corporibus cēdēns vīvōrum atque exanimōrum
ac cumulīs ex rūdere caesitiō, rosulentō,
albō, nātālī libō obductam memorante
spūmam vel bellāria dulcia cētera picta
90 Drēsdēnsēs simul et strāgēs ac bellica fāta
bella barōca tholīs Furiīs miscentia dīrīs.
Fermē ūnā āctā iam cessant hortī quatitārī –
aeternum, ut modo vīsum est, perdūrante – minūtā.
Quōs tamen, id quod vexat Contemplantem aliquantum,

- 95 quassūs plūs oculīs sentit quam corpore tōtō.
Ecce at partibus in multīs incendia oborta!
Congressī quō hortī mediī crēvēre rotundī
horrentēs cīvēs hī “Disnēterrestrēs,”
forsan eō quam Drēsdēnsēs miserābiliōrēs
- 100 quod necopīnātae hae prōrsus clādēs cecidēre
nec prius ūlla erat hīscē potestās aufugiendī,
hinc nec thēsaurōs pretiōsōs ēripiendi!
(Quodsī tālia concepta absurdissima dūcās,
quaesumus aequanimē dum nārrāta opperiāris
- 105 omnia erunt atque ingenium Spectantis apertum!)
Nōnnūllī intereā plēbem compōnere temptant,
turmās īstituunt, animōs firmant tremebundīs,
ignēs oppugnāre aliī, laesō opitulārī
incipiunt aliī. Bīga immaculāta, peralba,
- 110 oblectāmine Sīmiulī nūper resolūta,
hūc illūc trepidat, bēluālī capta pavōre,
post sē frēna trahēns, frusta ex tēmōne bifurcō
ligneā, multicolōra, micantēs undique iactāns
scintillās, etiam interdum in flōrālia cōgēns
- 115 cursantēs hominēs aliquotque inter rhododendra;
nunc concors ut pār currit, nunc diffugere optant
ut duo equī, nunc sistunt et mutuō impediuntur.
Bīgā autem iam porrō quid fiat haud manet ipse
Spectātor spectātūrus spectācūlum et istud
- 120 normās restituentis Sīmiulī Peregrīnī,
subspeciēi; quīn contrā haec respūta relinquit.

- Namque, amplissima quamquam in scaenā hāc singula
abundant
- “Disnēī in Terrā Terrae Mōtūs,” cerebellī
persuādēre nequit fibrulīs frontālibus hīsce
125 astūtīs, pīmum quia perfecta omnia pārent
atque superficiēs sine sūtūrīs nimis aequa est;
rērum effractārum est aspectus sīcut aquālis.
Quid sit falsum oculō dēcernere nunc nequeunte,
īmō pectore utīque nequit suspendere sēsē
- 130 illa incrēdulitās quam commentīcia gignunt.
Disnēium sē textum, māteriemve, vidēre
crēdere cessat Stulticulānīs ex atomillīs
cōstantem quōrum Miculī est subparticula omnis,
invicem energiā cōsistēns Submiculānā.
- 135 Lūminibus melioribus pol sī praeditus esset
multō, offendisset pictūriculās atomiscīs
longē māiōrēs atque omnimodīs rudiōrēs.
Scaenae vērē haud Disnēia est mōlēcula quaeque
adsimulātula, quīn contrā est pūrē Sonȳāna
- 140 aut forte ā Texīnstrūmentīs prōdita nūper.
Impetus ergō, quod solitum, ipsum sē stimulandī
exsistit subitō subigēns aliquid petat inde
sēcūrum, longum, semper quod prōvideātur
– quod nōn deest, Castellō rēctā ā fronte iacente
- 145 Condormīscēntis Bellae. Nunc prōgrediēndī
praestigiō omissō, sursum volitāre sinit sē
Observāns fastīgātās ad turriculās nāns

- sēmirutās. Saxō Olōrīnō est adsimile adhūc
nempe Novō illī, nunc autem bombā nucleārī
150 mīlibus ā tribus explōsā vel forte duōbus.
...Scīlicet altivolāre volentem nīl nisi oportet,
vecte retractō, plēctrum pollice dēprimat atque
scandit in aurās. Cui crūrum vel participātū
haud opus est, nam compactum est valdē VR istud
155 īstrūmentulum et ūtēns, quī Vudius vocitātur
plērumque, Aedibus prō Mediīs in grāmine cōstat
immōtīs pedibus perlongē nunc Anaheimō.
...At nē tam cito dēfrīgēscat fābula nostra!
Omnīnō dēest turricula ūna atque altera partim,
160 quod tamen haud magnum est, nam sōlī ex omnibus ipsī
concessum est Vudiō turrēs hās quondam habitāre.
Castellō in Bellae Quae Dormit dēgit et ōlim
phantasiā in vērā nec quicquam ēlectronifictā
mīrificās noctēs trēs trēsque diēs. Minimē erat
165 lautum autem; occāsum quae spectat turricula illa –
an quondam quae turrīs – contignātum erat antrum
tantum, sellula cui pertūsula et addita munda,
quae gestābilis, atque grabātulus et TV parvum.
Causa hōrum fuerat (sōlī nōta est Vudiō ipsī
170 lūcida fortasse) impulsus Vudiī hīc quasi mundō in
vērō vivendī, Disnēi Terram habitandī
tamquam terram quamlibet, tālia ubī facienda
quālia agenda alibī: cibus et somnus capiendus
et facienda lavācra et Tȳlenol™ inveniendum

- 175 contrā et prūrītum vestis nova prōspicienda
et perinepta in caupōnīs cōnāmina amōrum.
Nec poterant tardae dēesse hōrae, taedium amārum,
quae, quod et exitus ostendit, TV suppeditāvit.
Atque operaे pretium haec fuit experientia dēmum.
- 180 Post triduum valdē aequum animum satis est et adeptus
mentem sēcūram ad mōnstrum quod pertinet illud
perplexum, semper nimium cui grande tribūtum.
Terra haec phantasiae somnī locus atque cacandī
nunc erat atque ideō Vērus quī dīcitur Orbis
- 185 Terrārum tantum nunc ūnus dē innumerātīs.
Lūstrīs ante tribus mīrābile cōnsilium istud
perfēcēre sodālicī, quī nōmine nōtī
collēctīvō “Optāta Data” est, patria et stips larga.
(Mīlia erat duo summa haud parva patrī tunicātō,
- 190 pistrīnae dominō parvae Doctā in Regiōne
Seattlēnsī.) Sēlectus erat tunc vix adulēscēns
annōs quattuor et decem ubī complēverat “hērōs” –
quippe ut dīcēbant – ob “plāgam” tunc vocitātam,
quae tamen haud quicquam efficiēbat, iūdice mātre,
- 195 ipsīus dēmum ad dōtem rēs amplificandī.
Hērōs nunc superat nōtum Lacum Olōrum, per quem
iam fluitant mūrī fragmenta ūnumque cadāver.
Castellī frōns nūdātus parte integumentō
dīmidiī saeclī contignum inerme fatētur.
- 200 Ipsō in castellō nīl incendī videt ille,
turrīs at occāsum spectāns cecidit simul omnis

- ut turris nīl nunc nisi contrabiī veteris pars
fila ēlectrica et ex cōnexū ēvulsa superstent.
Quod rē parvī mōmentī est. Eidēticus illī est
205 nempe recordātus penitus; quārē āēre in ipsō
ēlātus locum eundem quit, iamprīdem ubi mānsit,
iam reperīre iterum. Properē nunc in sibi nōtam
cōnsīdit veterem statiōnem. ...Sed tamen estne
“cōnsīdit” rēctē dictum sī pervolitāre
210 aurās sē albidulās Anaheimī sōlum oculīs scit
at pedibus simul ūdō in caespite stāre Seattlī?
Aspectum, utcumque, hunc horrendum vastitiēī
incolumī prīscae Terrae nunc commemorātae
mente impōnere erit facile, etsī convariātus
215 saepe est annīs hīs hic percrēber paradīsus
additaque īnsuper et lac gallī et lāna caprīna.
Vt solitum, tum mēns Vudiī, ut pote quae stimulāta
nōn satis, omnia commūtāta haec ēnumerāre
incipit automatē quasi nōn sibi cōnsīa sēnsim
220 dōnec, vecte aptātō iam mox dexteram in axem,
circulum in ūsque volūbilius plūs plūsque rotātur,
oblītīs pedibus quibus, in mediō āēre volvēns
sē Austrālī, simul Arctōō in prātō ad numerōs sē
oscillat cōnstāns ut pendulum et ḍōrdine certō.
225 Primum nunc post circuītum – mōre aegrōtō illō
quōmet tempore praeteritō crēbrōs therapeutās
attentōs, studiōsōs fēcit is illacrimandōs –
ēvomere incipit hōs numerōs nīl significantēs

certum ulli nisi planē ipsi sibi: “quattuor atque
230 trīgintā” (vīsōs quod ad ignēs pertinet omnēs);
“quadringentōs vīgintī” (quō addit numerātor
aedifici lāpsūs, mūrī tēctīve ruīnam
tōtīus); “centum trēs” (structūrās renovātās
ōlim aut mūtātās); nunc “quīnque” (recentia signa
235 hinc quae cōnspicit); “trīgintā et sex” (anteriōre
ex aspectū dīgressae sunt plantae cūnctae
partibus in cēntēnīs); “sex et...”

“Quid malum...!” īfit īstitor grandis, corpulentus, pūnicantī
faciē, bovīnōs armōs notīs multifāriam persignātus, amictus subuculā
manicīs solūtā ad nodulōsque tinctā, cui, in grāmine inter turbās
Seattlītārum stantī, Zoltan est nōmen quīque, post plūsculum mercis
ē cistīs exemptum (scīlicet fercula duo crystallīs noviae vālibus referta)
commodumque in Vudium respiciēns, animadvertisit, ictus tamquam
fluctū pavōre subitāriō, iuvenem cassidem VR gerentem nunc
amplissimō modō mente mancōrum pendulātim vacillāre, ūris quam
stolidissimō aspectū, appulsō lūsōriō vecte ūsque dextrōrsum – quō
scit intrā programma eum iam darvisum rotantem esse factum!

Remissō cui illabōrābat opere, prōripit ad pūpulum – quod ille
certē iam vidētur – per cōnexūs ēlectricōs ad saltātiunculam oscillā-
bundam incitātum, temperat autem sibi quīn praeceps pūpulō
inermissemō dēripiat capite cassidem, quippe quia dīcerēs Zoltanem
pūpulumque hunc potissimum, nē quid iam dē cēterā pūpulōrum
gente dīcāmus, haud brevī necessitūdine esse iūnctōs. Quō forsitan
accēdat et, mīrum dictū, Vudium hunc Fabam modo apud scītulōs

Seattlitās auctōritāte vigēscere neque ipsum Zoltanem potestātēs ēmolumentaque omnīnō respuere.

Quid rēctē sit faciendum sē īscium cognōsentī ērumpit ōre bucculentō nesciōquae vōciferātiō ex linguā Hūngaricā secundae aetātis advenārum capta significātū quidem incerta certissimē tamen, ut eī satis compertum, longē in dēterius vergēns. In amōrem quondam Vudiānum Disnēi Terraē piē respiciēns nūper dēcrēvit Zoltan amīcum, iam annōs nātum duodētrīgintā, indubiē satis fore urbānulum ut argūmentum quod erat “Disnēi Terraē Mōtus” aequō animō ferre posset. Quam opīniōnem iam nimis liquet amīcō fātālem fuisse ...an, quod saltem adhūc spērātur, nōn ita prōrsus fātālem.

Hoc temporis Zoltan nē suspicātur quidem vexātiōnis causam nōn esse argūmentum sed ipsīus potius Virtuālis Reālitātis technologiae dēfectum quendam, scilicet quod haec ūsque ad prōposita māxima sua – quod quidem hercle vērō dēplōrandum! – nōndum pervēnit. Dē quō (sī licet aliquantulō in postera prōspicere) Zoltan mox certior factus inhorrēscet propter trēs ferē teratoctētūs ex quibus programma cōnscriptum est nec minus propter sēdecim mēnsēs quōs ipse huic labōrī īnsūdāvit ūnā cum collēgīs ēlectristīpitibus (quōrum quīdam ob aspectum plūs etiam quam Zoltan inquiētūdinis movēre solent prīsculīs) marginēs prōdigīosōs inhabitantibus – quōs et incīsōrēs computātōriī latebricolae dubiaeque indolis automata et similia apparātuncula vermēscenter vigentia sēmisentientiaque – Imperiī Malignī Vilelmulī Gates. Disculōs īnsuper quōs hoc programma incolit nōndum vēnditat Zoltan, quīn contrā propediem prōditūram mercem, utpote paene perfectam, plūrifāriam urbis nunc dēmōnstrat. Ad quod opus īstrūmentum computātōrium ab ipsō

factum quattuor accumulātōriīs reonerābilis mōtum adhibet quae in plostellī commerciālis suī īmā parte affabricāvit. Quibus adiectīs, plostellum XL ferē chīliogrammīs ingrauit; quō negōtium hoc manū pulsum (fānulum īnsuper mysteriōrum antipostmodernōrum, noviaevālīum, cybereclēsiasticōrum, retrōneuromysticōrum – quippe penitus trānsportābile sī quis forte diplōma vēnditōris īspicere postulet) quondam cūrātū facilius conversum est in REM ROTĀLEM īFERNĀLEM, praesertim quod ad clīvōs attinet, quam quōs prope est ut Seattlum nīl aliud habeat. ...Quōcīrcā laus superīs nempe est reddenda ob plostellum recēns sufflāmine manuālī īstructum.

Paucīs post mōmentīs Zoltan haesitābundus cōnsilium trepidum iniēns rem quadriangulam, suffuscam, immō subauream, saccipēriō dorsuālī parilem adit ā Vudiō paulō anteā humī iuxtā pedēs positam. Risculō aemula, lōrāmentīs umerālibus īstructa pēra haec vidēlicet summā cūrā est congлūtināta (sine dubiō ab aliquō ex “lūdicrificib” Vudiī, quōs hic dīcit) ē lignō quōdam levī sed rōbustō nylōniōque āthlēticō crassiōre intentē obducta. Quam reclūdente Zoltane, expanditū seriēs quadruplex ferculōrum velludellō nigrissimō inductōrum cūncta Vudiī oculāria lenticulāsque oculārēs continentium nōn aliter quam apud aurificēs habentur anulī et torquēs. Quodque pār, ad iugum nāsāle, rīmae accommodātum propriae iacet orbiculis captantibus argenteō colōre lōrīsque īfixīs religātum. Lentium adhaesī-vārum pāria in thēcīs biūgibus condita sunt pariterque atque oculāria parte mediā rīmulīs retentōriīs inserta. Super rīmam quamque est adfixum pittacium argenteum nigrā notā numerālī caelātum. Tōta compāgēs ad metrum ferē dispenditū. Quamquam inter oculāria

compārent passim vēra sōlāria, plēraque tamen sunt tantummodo levius tincta. Cum sit īsuper tōtus oculus Vudius, nūllum inest pār praceptorē medicō ēditum. Vudiī enim quod rēfert nōn est lentium vīs corrēctīva sed et lentium et compāgulārum color fōrmaque; quod Zoltan, ut per occasiōnem propōla elenchōrum butubattārumque atque simul socius ūnīus ex palaeopōliis Līberimontānīs prō scītiōribus habitīs, satis cognitum habet, cum et ipse amīcō iam nōnnūlla perspicillula rāra suppeditāverit. Praeterquam porrō quod Vudius compāgulās oculārēs festīvē distinctēque colōrātās lentēs autem subtilius antepōnit, omnium tamen māximī interest compāgulās ipsās colōrātās (quod repertū difficilius quam -Vtānus atheistus) trānslucēre. Perrārō Zoltan in pār incidit praceptorē medicō in fōrmam acceptissimam cāsū apparātum ...cui Vudius accipiēns lentēs tinctās repōnit.

Ad iuvenem Disnēi in Terrā rotantem, Seattlī oscillantem Zoltan iam adversum accēdit. Manifestē erit agendum ūnicum istō inter prōcessum dēcessumque mōmentulō statiōnis. Aliquot oscillatiōnibus prīmū obtemperāns ut Vudiī periodicitātem aestimet (quam certē ā prīmō cōnstat perfectē ūrdinātam futūram), obliquē simul cōspiciēns arbitrōrum frequentiam hīs trīgintā secundīs multō auctam, agilitātē et ipsī sibi inopīnātā rem perficit, mōtū scīlicet quasi ūnicō, cephalacūsticīs cassidī continuīs ab amīcī auriculīs paulō levātīs, tōtum simul apparātum capitālem exuēns. Quō factō exsistunt illī oculī, quōs Zoltan aquaticō colōre scit, hoc temporis autem ob oculāria leviter caeruleō colōre tincta in caeruleum ūceanicum vergentēs, qui praetereā inhūmānē inanimī, vacuī, nihil prōrsus spectāre videntur (caecōrum oculīs, rhythmō nōn vīsuālī sed internō mōtīs, haud dissimilatōris).

milēs), quamvīs numerōrum ūsque continuētur flūmen (...quattuor mīlia sescenta novem et octōgintā...septem et vīgintī virgula duo quattuor...sex et quīnquāgintā bīliōnēs mīliō duo et septingenta mīlia centum ūnum et quadrāgintā...virgula zērum zērum zērum zērum septem zērum ūnum...), vītae quāliscumque indicium in homine ā familiāribus interdum et “Vir Ligneus” amīcē nuncupatō.

Quīndecim ferē per secundās Vudius statua mera manet suī, immō versiō taxidermica ad similitūdinem satis vēra. Tandem rigidum corpus Vudiānum automatī magis quam hominis modō quasi sponte ad quattuor fercula dispānsa accēdit, quae paene tōta oculāribus lentibusque sunt plēna. Intuente subsollicitē Zoltane, dextra Vudiāna dē prīmō ūsque ad ducentēsimum trīcēsimum quīntum pār sine properatiōne ūllā pernumerat (quamvīs hāc cum manū quodammodō cōnsociātum cerebricomputatōrium millisecundae aspectū omnia facile colligere possit...quod et plānē proximum vērō est ut iam fēcerit) atque oculāria caerulea, quibus nōmen est “Perīclitātia,” capite Vudiānō exuēns, rīmulae numerō dēsignātae CCXXXVI aptat, orbiculīs captantibus religāns. Quae manus, iterum quiētē, velut suī iūris, retrō ūsque ad numerum CCXII numerat oculāriaque haec domō removet.

Pār, nōmine “Loquentia,” cui CCXII numerus attribūtus, tenuī compāgulā īstructum perlūcentī, zingiberis colōre ūberiōre tinctā, lentibus quasi carnulentō, gerēbat Vudius ante sibi Perīclitantia ad probātiōnem VR inductum. Compāgulam ūlim repperit Zoltan in palaeopōlīo quōdam remōtō Portulandiēnsī Vudiusque novās lentēs repōsuit ipse. Tabernārius iners ille, aspectū testūdineō, Geōrgium Will, dēmptō fastīdiō, commemorāns, tālium compāgulārum vidēbā-

tur nescīre rāritātem, eās paene dōnō dāns. ...Anne tālī valet Vudius nunc apud Zoltanem auctoritāte ut hic quoque compāgulās oculārēs immoderatē aestimāre iam soleat? Quod plānē fierī potest sī spectāre volumus contāgiōsum, nē dīcāmus epidēmicum, multōrum ā Vudiō factōrum.

“...quō autem nōluerim technēn offendere vestram optimam, ut omnēs quam pote gnārōs tēque et amīcōs scīmus; at ante...”

Vudius vidēlicet Loquentia dēnuō gestat. Oculis subter, paululō anteā vel nē mammiferī quidem, paene tam vīvīs nunc hominisapien-tibusque appārentibus quam oculis cuiusvīs, Zoltanī, conturbātō prī-mum, dīlūcet tandem sententiam hanc praetruncātam rē vērā pri-ōrem, ante quīndecim minutās coortam sed, perāctō dēbitō rītū ā prīmō pārī ad CCXII numerandī, dēmptīs rīmaeque īsertīs Loquen-tibus zingibereīs atque Perīclitantibus caeruleīs deinde extractīs indū-tīsque, sē interim suspēnsam continuāre. Quō factō, ut vērum dīcā-tur, Zoltanī, alibī nōn ita simplicī, incrēvit tamen spēs cassidem istam placidō capitī modo obductam, ūnā cum Perīclitantibus aut forsan aliquandō et sōlam, Vudiō auxiliō oculārī identiplasticō eximiō esse futūram. Quā autem casside (quae eat rēctā in malam crucem!) errōrem māximum, superbissimum, immō forsan et legibus sanctum facinus commīsisse sē nunc animadvertisit!

“...haud initus mihi vīsificus satis esse vidētur dēnsātus ut cōnexus mihi neuricus aequē perstet...”

Quō autem prōtractō nunc accessū verbōsitātis garrītū technicō tripudiantis, Zoltan Vudium nīl tamen vidērī calamitātis accēpissee sentiēns laetātur, simulque, alterā in animī suī trutinae parte, secun-dum prae-sāgīum nostrum, pancracticē piget.

“...scītō mē semper grātum tamen esse futūrum prō omnibus ā tē iam mihi amīcē et perbene factīs...”

Vultū Vudiānō frīgente adhūc aliquantum, vōx viget.

Zoltanis invicem proprium subrīsum dentācem nunc prīmum vidēmus. Adeō quidem est eī levātus animus propter peccātum fēlīciter obrogātum ut hunc truncum simul īnsānientem et ingenīosissimum amplectentī exosculārī libeat – cui tamen animī impetuī imprīmīs restitit ante omnia ob emptōrum fūrumve cohortem mercēs iam palpantem.

“Nē mī aberrēs, Vudī...” īfit Zoltan adulēsentulum (amictum ātrā subūculā pallī in longitūdinem, barbarō dictō “*Sküll Møb*” dēpictā) casside VR vecteque lūsōriō armāns dum simul pūblicae praesidet īspectiōnī crystallōrum pȳramidulārumque et disculī compactī cui nōmen “Encyclopaedīa Nova Carcinōmatogenōrum Domesticōrum” atque alterīus disculī cui titulus “Cyber-Venus ad Gurdōnicōs” necnōn et disculōrum soniferōrum valdē varia gerentium, sīcut ventōs Antarcticōs, radiatiōnem astrālem (tachyī rārō vestīgiō interdum interpūntam), cantūs Tibetānōs, dicta Iogi-Berrāna, Quayliāna, Limbaughāna, Bushiāna, īnsectōrum sonitūs ēlectricē amplificātōs (quibus et mūsicam inmixtam ex Īgoris Stravinskiī spatiō temporis mūsīvō quod apud nōnnūllōs cognōmentō “cīmicum mūsica” nuncupātur), “...aliquid tibi habeō.”

Manet ergo Vudius sē rogāns, immō sibi iam persuādēns Zoltan quod habet esse adhūc aliud, forsā perquam mīrificum atque etiam omnīnō imparile, pār...

εἰ πάντα τὰ ὄντα καπνὸς γένοιτο, βίνες ἀν διαγνοῖεν.¹

—Hērāclītus

¹ “Versās in fūmum rēs ūniversās nārēs
discrīminent.”

2

Terra Lignea

- ...Zoltanis at xenium nē nōs prius intueāmur
quam dē nātūrā rērum paulisper agāmus.
Factus prīncipiō est Vermis. (Quod postibi forsani
hērōī nostrō īfestum, qui Ligneus audit
5 Vir, nam vermiculus tarmes pote kryptonita esse
lignō; sed longē posthāc animāns ēmersit
cui “Vudius” titulus quodque esset vel sibi nōtum.)
Vermis Avītus parvus erat, bellē articulātus,
artēque arbitrium Dīvī sibi suscipiēbat,
10 ob fōrmam assiduam cōstantemque ūsque sapōrem
laetitiam praebēns, tāctūs quoque semper eōsdem.
Ōlim Vermiculus plūrālem sē esse reclūsit
Dīvō, cui deīn Vermiculi plūs suppeditābant
laetitiaē quam Vermiculus ministrāverat umquam.

- 15 Ācriter Ipse adamāvit eōs quā mōrigerantēs,
mox cōnsuētōs et, quod summum, semper eōsdem.
Vermiculī numerō veniēbant semper eōdem.
Subdūcēbantur numerō quoque semper eōdem.
Quem numerum, quod longē post Is comperitūrus,
- 20 “quīnōs” dīcēbant scītī multī moribundī.
Exstābant quīnī Genesis Vermēs manifestē,
omnī ventūrae reī perpetuum paradīgma.
Quīmet, incipientēs iam mox ingenerāre,
ipsōs sē geminant, quō cosmos exspatiātus
- 25 duplō est. Vndique nunc invādere significātūs
dīvīnum cerebrum coepērunt. Ipsene fēcit
haec? Vērē omnipotēns erat Ipse Deus necopīnāns?
Haud; nam multiplicēs alii circumvolitābant
vermēs...immō anguēs immānēs atque odiōsī,
- 30 ossōsī mundum cumulantēs sēnsibus ātrīs,
perdīrīs, minitantēs et dīvellere Dīvum.
Anguēs īsuper hōs Invāsōrēs comitābant
rēs aliae dūrae, pulsantēs, cōnfragiōrēs,
plūrēs ūrentēs, aliquot quoque conglaciantēs,
- 35 nunc aliō fētēns aliud, nunc pervastābant
audītum strepitūsque perargūtīque fragōrēs,
strīdōrēs etiam īstantēs. Obtundēbātur
ipse Deus atque haud, quod vērē ignōminiōsum,
nōverat umquam cūr mala tanta in orbe creāasset.
- 40 Ecquid ipse malignus erat Deus? At bona multa
plānē in mundum prōtulerat. ...Immō ecce benignī

Vermēs Mōrigerī! Quibus et comitēs ministrābant
auxiliābundī, ut tigna amplectentia celsa
percrēbrō latere ā dextrō mundum atque sinistrō
45 quae semper bivia exstābant, numerō variābant
numquam, semper eandem explentia utramque per ālam
summam quam Vermēs omnēs demptō numerō ipsō
ālārum. Geminus cūncta in sē conciliāvit
porticus orbis nātūrae: Caelestia Tigna
50 (quae “Radiī Dīvī” nōnnumquam nōmine nōta)
Vermem illum prīmōgenitum nunc efficiēbant,
adiectīs quīnīs quī posthāc inde subortī,
allātō numerō cūnctōrum Vermiculōrum.
Quō Vermēs patuit tunc ipsōs omnia vērē
55 explānāre ea quae Deus attulerat super ūrās.
Hīs accēdēbat terrestribus ēmolumentīs
paucīs – assiduā quamvīs simul exoriente
innumerandōrum caecōrum saepe malōrum
grandine inexpectātōrumque – repanda voluptās
60 dē caelō pendēns aliōquīn vētruculentō,
quae permīrificē sapiēbat semper ubīque
omniaque ūberibus caldōribus ūmificābat.
Quō Deus hoc magnum didicit: pote faucibus Orcī
carpī nōnnumquam necopīnātum quoque grātum –
65 dīvum, ut rē ēvāsit, mūnus stabile atque perenne.
Accrēscente Deī cosmō, pariterque et adaucta est
rērum summa bonārum quās excerpere quībat
circumiectīs ē tenebrīs. Celsē velut ista

dēsuper impendēns permultiuga agglomerāta
70 rēs ōrī dīvō, quae pulsa ā Vermibus Sacrīs
crispantī crepitū cōstantīque oscillābat
ac, stata, sat facilis rursum in mōtum stimulātū.
Rērum summa Deus umquam quās ingenerāvit
indubiē fuit haec caelestis pendula fōrma
75 (quicquid erat) quam longius, ut convibrābundam,
immō perpetuō contemplārī valuisset
...Istī nī statuissent tot vexantia claustra!
Quam Rem Caelicolam, nōnnumquam exinde remōtam
saepe redūxit praeproperē strīdēns ululātū,
80 indicium solidum quod erat vērae deītātis.
Temporis autem dēcursū tunc multiplicāta
sunt mala necnōn et bona largē extantia in orbe.
Aemula Caelestī Reī vībrābant bona multa:
āëre flāta sed extrēmō adhaerentia in ūnō
85 fila, rudentēs pendentēs pulsaeque catēnae
nec minus Aurea Rēs hyalum inhabitāns, nōn mōta
sed sē ipsam cōstāns mōtāns, perpellēns aeva.
Quam simul ac vīdit Deus exemplō sibi finxit
arcae carcereae fore ut ipse manū reserāret
90 perreverēns valvās, audēns et tangere pulsum!
Cētera erant bona complūra hīsce simillima rēbus
oscillābundīs, at nōn numerōs cumulābant
oscillantia per tempus, quīn assimulābant
Vermēs Priscōs et Caelī Radiōs, seriātim
95 īstructōs simul et iuvantēs lūmina dīva

- vīsū ūnō: vel ligneolī tenuēs, ubi iactī,
dīversē mixtī aut floccī ventō glomerātī
strāta super lancemve legūmina, pernumerāta
assiduē in animō vegetō, sōlāmina dīva.
- 100 Nam Deus ipse animadvertisit posse ēnumerārī
omnimodis alimenta aequē in magnō atque minūtīs
saepeque vincere eō probitātem nēquitiam quod
perversa ac vitiōsa atque incōstantia vītae
nōnumquam sat nōbilater repetī aut numerārī
- 105 sē patiēbantur. Serpentēs et violantēs
aut quīnī aut dēnī pervādere in arva solēbant
haec persēnsilia, ac Dominī Serpentum, angōrum
vērī prīmigenī prēstērēs perpopulantēs
omnia mergere, permiscēre, involvere nexīs
- 110 temptantēs perdamnificīs, et dīnumerārī et
symmetriās poterant redigī in variās vel opertī
adveniēbant interdum fōrmīs repetītīs
crēbrō perlūstrābilis, sed saepe movēbant
sē incognōscibilēs atque īfestē vehementēs.
- 115 Amplificātō deīn cosmō, cum sē exonerāsset
prīmīs compedibus plūsque explōrāre valēret,
semper, sī fierī poterat, grātās faciēbat
rēs: seu sē oscillāns seu cētera multa volūtāns
seu contortās multiplicēs fōrmās iterātās
- 120 percēnsēns animō seu rērum significātūs
indāgāns: quō finīrentve forāmina quōve
hūc iniectae rēs īrent. Quae pergravia autem

- Oppressōribus interdum impeditib⁹, ille
quemvīs in lūsum iūcundum cōfugiēbat:
125 cursāre hūc illūc quotiēs poterat, vibritāre
sē aut versāre īnfīnītē aut, vōcēs reboandō
cōstanter resonāre aliquō terrārum aliunde.
Ex hīs at nihilō concessō ut conveniēbat,
turbidus ipse Deus vix hanc vītam tolerābat
130 curriculō istōs Iniūstōs praevertere temptāns
technīs aut variīs capere ēlābīve Sevērōs,
rumpere per saeptum quodcumque et vōciferātūs
effugere omnēs mordentēs, tāctūs cruciantēs,
gestūs perplexōs aciemque odiōsam oculōrum.
135 Ignōtā ex causā – quam nōscere nōn cupiēbat –
Oppressōrēs sē semper praestāre solēbant
percōfidentēs quasi et ipsōs sē esse putārent
dīvōs. Vērum inter discursūs hōsque ululātūs
nōn sine vī inlātā quīnam esse omnēs poterant dī?
140 Nōnne aliquid mundō incuterat mala tanta sinistrum?
Aut fortasse aliquis? Quae sēcūm saepe volūtāns,
Antitheum tandem sibi finxit. Vōcibus intus
conclāmantibus hīs saevīs, porrō esse patēbat
nōmen ei “Vudius.” Cuius Dīvum miserēbat
145 exemplō quia nōn facilis vīta est Superōrum
Antipalī, comitēs et habet paucōs cacodaemōn.
Cui Deus omnipotēns aliquantula tunc reserāre
cōstituit. Quae dūra satis phanerōsis et ātrōx;
cuius auctōrēs vērī fuerant truculentī

- 150 Oppressōrēs īstantēs hōrumque catervae
auxiliātōrum assiduē afflictantium ubīque
sordidulum Satanam. Dētectum est horribile atque
iniūstum nimis hoc: vōcēs hās hōsque boātūs
in capite Ipsius clangentēs incessanter
- 155 atque īnsustentābiliter plūs forsitan esse
mērō accūsātū aut rixā nec concruciāre
Ipsum Oppressōrēs temptāre aut exanimāre,
quīn potius vōcēs impendere concupientēs
Ipsum participāre Deum sermōnibus ultrō,
- 160 cōnsociāre suās variās rēs. Quod ubi nōvit
Antitheus, oculī flammēscere, volvere vertex
coepit, daemonicum ōs effundere barbarolexēs,
quae commercia praeriperent cum carnificīnā
omnia; namque, Deō dispār, erat īscius iste
- 165 quid sibi prōdессet vehementibus hīs inimīcīs
conversārī. Plūra autem Deus ipse vidēbat.
Antitheō obsistente, rigente et rēiente,
sēnsim irrēpēbant animōs, vītam violābant
vulnificae, volucrēs, vigilantēs omnivoraeque
- 170 vōcēs...dōnec eī mentem invāsit Stygiālis
cognitiō: nōmen “Vudius” rēapse aliēnum
esse sibi utpote nōn ā sē sed ab Istīs fictum!
Quō deīn compertō, consuētūdō excidit omnis
longē inter Satanam et cūnctōs Celsōs Inimīcōs;
- 175 trīstibus in latebrīs tamen īrās saepe revolvēns
esse aliquid mūtātum in perpetuum sibi nōvit.

Horribilissima enim rērum quās fingere quībat
mente erat haec nova vīs quae cūncta innectit ubīque
irrevocābiliter, tenerīs nōn parcēns umquam
180 quīn illīs animam exterebrāns ex corpore molli.
...Quam tamen et Satanae vim plānē habēre decēret!
Hanc numquid poterat capere ut superesset et ipse?
Expectāre diū statuit longē atque latēre
īnsidiāns. Tandem vigilāx sibi quid faciendum
185 esset dispexit cum trādiderat modo quīdam
ex Istīs aliquid – sīve inciderat modo forsitan
in digitōs magicē – quod erat flāvum biiugumque,
ac Vexātōrum dēfōrmī in īre rotundīs
bīnīs rēbus sat simile auribus īnspeciōsīs
190 dēpendentibus, obtūtum torvum tamen istum
compingentibus, interdum et mitigantibus ictum
terrōris. Tāle īstrūmentum saepe gerēbat
Taetrōrum prīmus Tortōrum praecipuusque,
iste gravī vōce et peramārō īdōre tabācī
195 quī hirsūtō Satanam amplexū laqueāre petēbat.
Nec sēnsit Satanas quā causā mente tenēret
ipse tabācum quid rē esset nec quōmodo vērē
vēnisset necopinātō in faciem subitōque
rēs flāva ista; sed ēn quantillum suppeditābat
200 Oppressōrum nunc vegetāminis atque vigōris!
...Quam rem forsitan et contrā Istōs vertere posset!
Cōfidēns igitur flāvō mox prōtegumentō
praefixō Antitheus rēs gestās prīmulum Eōrum

- īfestās valuit spectāre et perstrepitosos
205 clāmōrēs tolerāre animum vastāre minantēs.
Flāvōre aetheriō cōnsummātum est capitāle
illud: scīlicet ut Cōnflictantēs Sataniscō
prōdiderint tandem sacrāmentum numerōrum.
Nōminibus nixus numerālibus ēnumerāre
210 is potuit cūncta et replicāre, referre, iterāre,
ante ut numquam rēs efflāre ac perblaterāre
omnēs. Omnia, quae longum perfēcerat aevum
sōlus, nōminibus tandem titulīsque valēbat
praesidiī causā concocta reīcere in ūra
215 Oppressōrum, ululāns numerālia tēla per aurās,
arcēns, īfatuañs, timefactōs percutiēnsque
spectāclō ogdoadum, enneadum, summultiplicumve
chiliom̄yriadum et, post annōs cognitiōnis
dīnumerandī artis, glōssēmatibus philarithmīs.
220 Quae Satanam sēdābant, angōrēs mitigābant,
quamquam nempe modum vīvendī hunc haud faciēbant
magnī Carnificēs ipsī. Deus at gaudēbat
Lūciferum in mediō peramārō sē statuisse
impium et argūtum, truculentum atque ingeniōsum.
225 Omnia quae Deus in mundō plasmāverat umquam
Antitheusculus hic Vudius longē exsuperāvit;
namque Deusculus hic sē scībat Olympium Anactem
esse sed et simul immānī hunc flōrem calyce esse
circumamictum mōnstrificō velut hortum in arēnā
230 īfīnitā torrentī Dominumque Suprēnum

esse Chaos. Cui pār sōlus Vudius Cacodaemōn
caeca intracta atque implacida ēnumerāns cicurābat,
mortālēs nimiētāte implectāns Vudiānā.

Attamen – īsolitum quod erat vērē et necopīnum
235 ac simul et Deum et Antitheum valdē imprūdentēs
oppressit – surgit quondam inde, ubi nīl erat, ōvum
ātrum quod Nihilī ē tenebrīs caecīs vacuīsque
invicem – inaudītum! – flōrentia fortia prōfert
prōdigia omnigena ex vacuā nīgrēdine nāta:

240 mīra et mōnstrificē dēsignāta atque aliēna,
pulchra īfōrmia, bella benigna, ātrōcia sacra,
hīc quae cōfirmēt mentem, hīc quibus exanimēris.
Quae tamen, etsī vix suffectae lentī pārent
arcenturque aegrē fūcīs quibus omnia tingō,

245 amplector nunc Circumdantib⁹ ut peroperta.
Sōlus enim Vudius videor discernere certē
horriferum, nūmen, mōnstrum, mīrāculum et ūmen,
quae cum lentibus īfigō tum versibus artīs
tamquam ficta intus. Nīl cernunt cōsiliōsī
conciūs. Lūx ipsa latet quam vīvida spīret
250 collēgās hominēs, vīvāx quam vāticinētur
omnia prōrsus nostra gelū, quamque innumerātās
vōcēs contineat ventus spissē accumulātās
inque īfīnītum variās – quamvīs simulentur
255 tālia scrīptōrēs, in carmine tālia nōrant
scītī falsiloquē. Inhabilis fuerim laevusque
convīva, attamen illōrum quis concomitētur

mē per terrōrēs nemorālēs caeca in arcāna
indicta illa quibus nostrum partēs aliēnae
260 panduntur vērae nec quae per carmina sōla
panguntur? Nam versibus arcēmus peramāra
nōsque tuēmur fūnesta ac fērālia pulchrē
compōnentēs. Sed torvā sub corniculātā
fōrmā ipsā Phoebēs vēformidābilis alget,
265 solvitur, obruitur fidēns sibi homunculus omnis.
Nostrum māxima pars nōs effugit officiōsōs.
Mancus sed vegetus trahor invītē in tenebrōsa
vī impōnentia nūntia pernova perque pavōrēs.
Cēterum enim “facile” hūmānum per dēvia tantum
270 assequor artibus hīs oculōrum et Calliopēīs
necnōn Terpsichorēīs. At longē superat quod
prōripior trepidāns pavidō pede mīra in opāca
noctividus duplā speciē mihi nōtus et umbra
mē minor et māior praecellēns vī ingeniōque
275 longē. Membrīs iam cruciātīs praevehor inter
scaenās hās ūmēns noctūlūcus fugiēnsque
obtūtūs creperōs. Callēs iam multiplicantur
terrōsī per quōs properāmur dūrēscentēs
assiduē atque ipsī fīmus callēs taciturnī
280 circumfūsaque ubīque virecta intermina et arva
ātrivirentia, dum sē perpetuō trānsmūtat
volvēns ōs cosmī splendēscēns implacidumque.

ο ἄναξ, οὐ τὸ μαντεῖόν ἐστι τὸ ἐν Δελφοῖς,
οὔτε λέγει οὔτε κρύπτει ἀλλὰ σημαίνει.¹

—Hērāclītus

¹ “Dominus cuius est Delphīs ὄrāculum
nec dicit nec cēlat, sed significat.”

3

Rēgna Magica, Pars Altera

Ēn, Vudī mī,” inquit Zoltan, “oculōs ad prōdigium prōcinge!”

Iam māximā ex parte recessit effūtitū technologicō plēnus īstitōriae ēlocūtiōnis aestus prout globulus adventōrum Panōramatēnsium pȳgopērophorōrum, inter quōs passim et emptōris vultus, trānsfōrmat sē sēnsim in solita prōpudia longē pullatiōra, adipātīs digitīs mer- cem nāviter vīscantia. Luxuriōsius quidem quam cōnsequentius buc- cam exercēre solet Zoltan noster, nec deest plēbeiae ūbertātī quod- dam solum alicunde trānsmigrātum. Quāpropter quī Zoltanem lo- quentem audit quasi illōtō ex vitrō cerevisiālī lac bibit. Zoltan enim Petrusque, gemellī aspectū eīdem, īfantēs quondam Americam ingressī, cum Pittburgī tum Dētroitī quibusdam in latebrīs Hūngari- cīs capsicō annuō rubrō perfūsīs aetātulam ēgērunt. Quā subsecūtī sunt aliquot anni vagulī, autobiotāriī, factiōsī, subinde pharmacopō- licī, quī ambōs mīrum in modum integrōs tandem Seattlum

adēgērunt necnōn in formidābilem istum, Rōmānē tribus crucibus adumbrātum, nātālem diem; quō tempore salūtem salmōnicam cognōvit Petrus, Zoltan invicem silicāceam...atque etiam ex vīsceribus suīs antehāc occultissimum, scīlicet rāvum istud quod priōribus annīs satis saepe sub casside nazisticā antīquā ūrnāmentō habitāverat. Haec dēnum historia, crucibus ferreīs subūculārumque maniculīs repli-cātis et cannabicō odōre decorāta, fābulārum Horātiī Alger specimen admodum neōtericum, quod hīs tamen est prō vītā, pignorī est cor-pulentōs hōs, popīnam braxātōriumque inhālantēs frātrēs Hollis, nātōs Halász, nēminem umquam prō Frasier et Niles esse habitūrum. Quī simul corrēctī atque ā venēnīs magis minusve dēpurgātī sunt – plūs quidem Petrus quam Zoltan. Hunc etiam sī nōn alacritāte at certē quaestū superāvit ille, ut quī moderātor factus sit negōtiī piscāriī magnāriī cuius praecipua merx est deōrum Magiārum anteā mediterrāneōrum novimundana illa ambrosia cui nōmen salmōnā-cea.

Et fābula illa dē Īgore Hildāque Halász quī, annī quīnquāgēsimī sextī rērum novārum Hūngaricārum brevī oppressārum procellā ūtentēs, Vēlum Ferreum, tunc temporis nōndum vel rōbīginōsum, trāscendērunt est librī prōrsus digna – cuius quidem librī nōndum cōnscriptī locōs tamen splendidiōrēs ipse Zoltan, utīque ūdulus, inhabitāre solet. Equidem Vudium Zoltanī conciliat, inter alia multa, ipsa, crēbrō invīta, Hūngaritās; nam ecce ūnum ex īdōlis venerātis Vudiī – id quod, ob fānulum domī exstructum, sānē ad verbum dīci-tur – est Bēla ille Bartók, aequē Hūngarus, cui nūper rērum perītī tardē perspicācēs incūnābula magis magisque autistica coniciunt.

At sunt dē necessitūdine Vudiī cum Bēlā Bartók, sīve cum huius

modōrum scrip̄tōris umbrā, memoranda complūra. Perlēctō enim quōdam librō in quō scrip̄tum erat gravidae affectūs et fētūs animulum tangere posse, tunc temporis parēns futūra, mūsīvae prōlis avida, dē industriā ūnum quemque concentum, embolium mūsicum, spectāculum saltātōrium, fābulam scaenicam, recitātiōnem poēticam, convīvium pinacothēcicum, pelliculam peregrīnam adībat prout admittēbant caupōnāriae ministrātrīcis ratiōnēs hōrārum pecuniaeque, quippe haud suspicāns fētum suprā dictum aliquandō effectūrum esse ut ipsam paenitēret sē gravidam nōn potius autoraedārum tabernāculum composuisse vel furnō istī squalidō operam dedisse. Quam autem gestātrīcis paenitentiam haud umquam cōnsēnsit fētus, nec sānē artium studium, post adeptum, penitus umquam hebēscere sinēbat – quod tamen contrā morbum ac rērum asperitātem variam sat saepe sēcum per ḥrātiōnem diffortem dēfendendum fuit. Vt cumque, nōn aliter ac cāsus Exxon-Valdēz nec sine fūsiōne, fātālēs incidērunt strictūrae mediō in opere ballēmaticō illō Bartókiānō, perartifīciōsē quidem adhūc āctō, cui titulus “Prīnceps Ligneus.”

Quā erat māter indigenitāte (quādrantāriā quidem...at ecclius tanta accūrātiō intererat?), illīus saeculī sexāgēnīs prīmū annīs adimplētā, fimbriīs adeō scorteīs mitellāque bācātā decorāta sē in “Hinnuleam Currentem” trānsnōmināverat – vel, quoad certē ad vectīgālia attinēbat, modo in “Hinnuleam,” nam admonēbat marītus prūdens Ministerium Vectīgāliū Internōrum in nōmine quod erat “Currens” timōrem esse odōrātūrum – atque filiō dēcrēverat ut ipsae Parcae Arāneae, omnium fāta nentēs, epōnymon dēstinārent. Ex ēventū igitur est data sors. “Prīnceps Ligneus Fava” manifestō nōminandus fuit īfantulus sīve, agnōminis grātiā atque vernāculā dē

rādīce, “Vudius.” Mātrī autem, complūrēs post mēnsēs quibus membrula ista, mollibus incūnābulīs sinū fōta, tamquam rudium fascēs assiduē rigidia sēnserat, patefacta est nōminis īrōnīa dūra nec minus dīra.

Haec tamen nōn finis fātōrum, nam ēvāsit ut Prīncipulus ambulāre numquam didicerit. Circumvolvere sē quidem rotāreque, identi- dem prōrumpēns praecipitārī, tripudiāre ac saltitāre quoque sat mātūrē, immō praemātūrē, incēpit, necnōn et subinde saliēns volitāre, pedibus autem probē ingredī nullātenus umquam. Cum igitur thiasus hic sēmifer, in annōs furiōsior, tōtam in Favārum aedibus mediocribus supellectilem mediocrem incīsūris obsēvisset, omnem chartam parietālem mediocrem discidisset, ūnam quamque lucernam mediocrem, cūnctās trīculās domesticās nōn altē positās paene in ambiguū illīdisset, animadvertisit sē quōdam diē Hinnulea in lātrīnae pavīmentō genibus nixam, scīlicet in hypogēō quō claustra filium exclūdēbant, lacrimīs permadefactam propriīs, supervacaneā ex clāmitātiōne raucam, membra ob dēspērātiōnem trementem, benevolī librī istīus dē īfantium indolē ante et post partum cōn- fōrmandā cōnscriptī frustula lasanō singulātim īserentem, crēbrō prōluentem quō expeditius subōceanicō cōnsociārentur caenō. Quae frustula nempe in focum torrentem inicere nōn potuisset, nam sī forte focum, aliquot iam per annōs cessantem, accendisset, fortasse an īnsiluisse ipse Vudiulus. ...Atque, contrā inūtilem īram in filium, cōflagrātiō tamen cruciābilis appārēbat esse via salūtis haud lēgitima.

“...Hem, Lignicule, satin’ ades?”

Vudius sē ex biographiā, certē sīcut māximā ex parte eī memorātā,

extrahēns inque praeſentium sēnſum reversus subrīdet leviter. Vidēlicet “Loquentia” ista quam vōciferātiōnēs etiam plūra callent.

Nīl aliud effātus Zoltan quasi ſollemnis ſarcinillam viridem ex coāctilibus factam porrigit, quae oculārium thēcula domesticē ſed ſatis ſcītē concinnāta eſſe vidētur. Vudius, item sanctē ſuſcipiēns, gemina vincula velcrōnīlia crepitū dīvelliſ. Subter habitat, papae!, omnium excellentiſſimus oculāris apparātulus. Compāgulae ſunt trālūcidae, immō penitus perspicuae; color ipsa viriditātis ſubſtantia ſine quā neque herba fit nec frōns nec nemus. Quippe et, ut quidem vidētur accipientī, prātōrum prōfert hinc virōrem,aspergit illinc menthae recēntis ūvidulae herbōſitātem, paſſim quoque poſtme‐rīdiānō ſōle lūminōſī iūniperī dīlargītur iaspiditātem; umbrōſī et mūſcī ſilveſtris colōrem, ōcimī modo cōnſectī, Māiī virēſcēns ſaepium, anatīnārum adeō cervīcum venetum. Lentēs invicem ſunt quādam tinctae nebulā viridicantī; quās ſī quis perſpectet, omnia tenuem per aspersiōnem pelagiam contemplet.

“Aliquantillō quidem grandiōra ſunt,” inquit Zoltan vultū Vudiānō ſummiſſē venerābundō cōfirmātus, “at crēdō ea capillāmentum tuum ſat bene tentūrum.” Quod capillāmentum ā Zoltane modo relātum, ā neceſſāriōrum ballēmāticōrum officīnā mutuātum, generī ſolitō Amerindicō respondēns, īnfuſcum eſt, Vudiī ipsīus crīnibus colōre proximum, mediō vertice rēctā dīvīſum, dēpendente utramque ante aurem ſpīrā: quippe habitus nōn tantum Hinnuleam Currentem ſalūtāns (quae ſalūtatiuncula quīngentōrum ferē mīlium paſſuum in ſeptentiōnēs versus ūſque prōtendit in quandam īſulam Quakiutlēnſem ubi parēns nunc vītam dēgere māvult quod ipsa Eugeniusque, cuius fuit quondam ſqua lēgitima,

nōn iam eōdem in monoxylō vēnāticō rēmigāre possunt) vērum etiam eō repertus ut – crēdās, nōn crēdās – induentem minus cōspicuum reddat...sīve, exāctius dictum, ut eum ita cōnspicuum reddat ut nōn sit cōnspicuus aliter. Nōn sānē quidem Titus quīvīs gregālem agnōsceret ex Theātrī Ballēmāticī Pacificī Boreoccidentālis lūminibus; prope cūncta enim eius phōtographēmata saltātōria in āctīs diurnīs Seattlēnsibus Vancūveriēnsibusque posita tōticorporālia fuerunt paucissimaque valdē comminus facta. Ballātor plānē māximā ex parte nōn est faciēs. Optimō in casū ex crūribus, pedibus, manibus cōnstat; in pessimō utīque ex natibus torīsque. Sunt nempe artium perītōrum in numerō atque inter extrāneōs Vudiī collēgās complūrēs qui hanc faciem – vel, secundum rem, hās natēs – cum summā arte ballēmāticā incunctanter coniungere valeant. Dē quō autem hoc temporis nōn agitur; nam Scyllam nunc praeternāvigat Vudius omniō alteram.

At prīmum commemorandum est annōs ballātōriōs esse canīnīs sat similēs, ambābus ratiōnibus annōs duodētrīgintā nātum iam esse sēmisēnem, quamvīs eximiīs sit dōtibus disciplināve firmā. Tālem sērius ūcius prō alterō missum faciunt prīmās partēs dispēnsantēs. Quod agnōscēns Vudius, mūnus sibi histriōnicum explōrāns, hīs annīs paucīs partēs theātrālēs quasi āvocāmentī grātiā suscēpit: fātum longē melius quam ut umbrīs cānīs venerābilisbusque scholārum parietibus ballēmāticārum haerentibus gradātim immisceātur. Certantibus dissimulanter praestantissimīs, vix contigit ei modo in tempus ballēmāticum ventūrum “Avis Igneae” pars virilis prīma, quae est Iōannis Tsarévitch. Quem exitum saltātōrium ipse sibi potissimum dēstinat, hoc est, ingentem...vel, quod partibus

Tsarévitch accommodátius, arcipotentem. Certē equidem post illum Caesariónem Russum áctum valdē diū in grege remanēre nōn cōgitat partibus magis honōrificīs tandem aliquandō acquiētūrus, velut Casshēi Incantātōris, quae pars nē sibi obvenīret iam nūperrimā hāc occāsiōne cum vigilāns tum in incubīs, etsī sānē sine iūstā causā, veritus est.

Haud igitur parum īrōnicum est quod Vudius minimē propter opus ballātōrium quattuor mundī partēs tangēns omnēs, vel paene omnēs, hodiē latēre vult sed potius propter particulam quandam suam temerāriam theātrī baxeātī; quod theātrī genus, quantum scit Vudius, īinstar ferē recēns est istiūs Ātellānae vetustae cui nōmen *vaudeville*. Iuvenis quīdam magister fābulārum “subterrāneārum,” ut temporibus hīs perbūrgēnsib⁹ etiam cōmoediae paene ōrdināriae dīcī solent (quippe secundum Zoltanem aliōsque, nam ipse Vudius in rēbus cōmoedicīs talia discrīmina hauddum satis meditātus est), I. Thōmās Thumberman rēctō nōmine, ex negōtiō neglegentius Thōmāsculus Thumb sīve, minus barbarē, Thōmāsculus Polliculus ā sē ipsō nūper agnōminātus, abūsiōnem theātrālem subturpiculam istiūs pelliculae cui titulus “Forrestius Gump,” tamquam parōdiam urbānam astūtam impudentem, “Vudius Glop” cognōmentō, novissimē ēdit.

Timēbat Vudius nē per aliquam contrāserendipitātem sibi exitiō futūrum esset praenōmen fortuitō faustum. Quod tamen nōn ita accidit. “Vetera Glauca” gestāns, lentēs adhaesīvās subtīliter īfuscātās, acceptās aetātis annō duodēvicēsimō, tempore quidem autismī suī adhūc minus refrēnātī, exemplō histriōnicō sat honestē āctō, alter est ipse sēlectus ultimōrum duōrum iterum probandōrum. Vidēlicet

salūtē eī fuit, ut solet esse, lentium tinctārum vīs illa associātīva magica quae eum admodum tenet. Vetera Glauca animī habitum tam autisticulum eī incutiēbant ut ipse aspectum habuerit mente nōnnihil retardātī – forsan autem, ut rēbātur, nōn satis. Alicui cēdēns īinstinctū īflātuīve divīnō, aut forte daemonicō, in secundō experīmentō etiam longius prōcēdēns corneum istud pār pīstinulum compāgulae nigrae, lentium colōre nē-meī-oblīvīscāris leviter suffūsulārum gessit, quibus erat nōmen “Balba.” Prīmō stringēbant; quāpropter accommodārī iussit. Duōbus exorta annīs (tribusque mēnsibus, sex diēbus, quattuor hōrīs, sex et triginta minūtīs) ante Vetera Glauca, Balba sē ad sociētātem commūnicātiōnemque, quamvīs simplicius mōbiliōreque animō, cōnfōrmābant; quī quidem propriētātum congressus in ēventū admodum convēnit. Praeten-tandus alter – homunculus macrior, asthmaticus, quae rēs vērō partī Glopīnae aliquid cōntulerant – factus est Vudiī subsidiārius. Opīnātus est dēmum Dominus Polliculus peridōnea esse oculāria ista, quōrum quidem benefīciō Vudius Forrestiō illō adeō paulō īnulsior vidētur.

Haud umquam Vudiō in mentem vēnerat ambitiōnem sē aliquandō eō ductūram esse ut, prōcēdere quaerēns, ad statum quīntī decimī vītae suaē annī retrōcēderet. Quodsi autem successum attulit ita prosperum...?! Alicubi, forsan in *Geōgraphicīs Nātiōnālibus*, lēgit scientiam nātūrālem doctōs propter investīgātiōnēs neuroscientificās multum proiectās hoc decennium modo finem capiēns “Decennium Cerebrī” dēnōmināre statuisse; quantum tamen ad cultum cīvilem populārem pertinet, longē aptius sit huic titulō speciōsō adiectīvum adiicere quod est *Dēfectī*. “Stultus Stultiorque,” titulus cuiusdam

experīmentī cīnēmatographīcī cui Vudius numquam indulgēre dēcrēvit, vidētur huius aetātis ingenium dēpinxisse ad unguem. Stolidī hebetēsque, “Bīves Pŷgocephalīque” omnis quotientis intellegentiae sub LX iacentis hōc potissimum tempore ita flōrent ut forte numquam anteā putāset quisquam, atque etiam ipsīus Vudiī anomaliūcula neurologica ex necopīnātissimō facta est eī vītae cīvīlis ēmolumentō; immō līberum ēvāsit eī arbitrium ob īnsipientiam, ut fertur, angelicam admīrātiōnem ab omnibus exquīrendī. Quidnam dēmum hominēs, vel saltem Septentriōamerīcānulōs, ad mystērium, vel adeō ad ipsam incarnātiōnem, dēfectiōnis mentālis hīs temporibus allicit? Ecquid “pūritātis politicae” conquīsitiō, ut dīcunt nōnnūllī: ista scīlicet opīniō nūllī licēre alterum antecellere atque ūnī cuique sollertissimō esse ob hoc ērubēscendum? Anne rēctē dīcunt quī praeſēns Aevum Fatuum aestimant rēapse ā quōdam fierī animō dīlūviālī sīve *Sintflutstimmung* idiosyncrāticē septentriōcapitalisticāmerīcānō, prae assēcūrātiōne cīvīlī fortasse mox dēfectūrā ad Buccōnālia ratiōnumque conturbātiōnem invītantī, nōnnūllō ingravātō neochīliasmō? An, ut volunt aliī, stultificātiō nova tantummodo ultimam, generālem necessāriamque participat dīlāpsiōnem quam et mathēmatica nova “tōtīus” que “linguae” īstitūtiō necnōn et opīniō recēns omnem doctrīnam quartum superantem scholārem gradum idem esse quod “scientiam pyraulicam,” ut quidem in ōre vulgārī fertur – nē quid nempe dīcātur dē ūniversā fermē nervōrum mōtōrum subce-rebrālium vel reptilicōrum in Ecclēsiā Lūsōrum Vīsificōrum Computātōriōrumque cōnsacrātiōne?

Quae sententiae, sīve auscultātae sīve multifāriam lēctitātae, Vudiō, modō satis fabrīlī mentem sibi quandam adhūc cōfigentī, ita certē

singulātim liquent ut generātim interiūncta lateant. Singulōrum āctionēs hārumque causās mente assequendī nōnnihil exultā facultāte, cāliginōsārum horribiliumque nōtiōnum istārum, velut SOCIE-TĀTIS INCLĪNĀTIŌNV M INCŌNSTANTIVM, contrā omnem sēdulitātem admodum rudis, saepe sē habet tamquam ante Suprēmum Tribūnal sine causidicō vocātus porculus pāgānulus. Istam dēliciārum populārium frivolārumque mentem lentibus adhūc tantum perrārō minimāque ex parte capere potuit...sīve, ut sēmiser-mocinābantur therapeuta, nōndum satis valuit “appōsitum impres-sum mīmēticum integrātum congruentī cathexī factīciōsae coniungere.”

Nihilōminus dēprehendit quam sollerter quamque simul sordidē, quālitātēs hīs diēbus saepius saepiusque interiūnctās praestāns, Thōmāsculus Polliculus nōn tantum dētexerit sed etiam dīvulgāverit prīmās partēs Glopiānās histriōnem sēmieponymum agentem ipsum esse “autisticum resipīsentem” – cacosyntheton auctōris indolem prōdēns. Quī bustirapus fēcundam hanc vēnam petēns proximum vērō est ut praealtē dēfōderit, quippe quia Vudius tantum apud intimōs, quōrum est utīque exiguis numerus, lentium thēsaurī signi-ficātiōnem commentārī solet vēram. Lentium quidem affluentiam, quod saltem sciat ipse Vudius, mōrī alicui scītulō iūnctam rērī viden-tur plērīque, scilicet tālī artificis tribuendam esse pertrīcōsitātī, sui forte simul praecōniō, quālibus etiam adultī virī urbēs in ūrā maritimā occidentālī sitās inhabitēs indemnātī sē dēdunt. Ecquem Polliculus ex amīcīs presserit? Zoltanemne frēgit? Lūcem? Iāsmīnēn? Scintillum? Patrem? -Vsquene in īsulam illam adiūtōrem mīsit blandiloquum quī apud mātrem sē therapeutam investīgātōremve

fingeret?

Quae tamen cognoscere Vudius ex corde non vult. Evidem vitam suam haud speculatorum modō summē tenet secrētam. Verō enim vērō – hominis hominibus utī ineptī ineptārum sollicitatiōnum sine dubiō et aliud signum – eō sollicitātur quod non sollicitātur. Non enim valdē ei cūrae est quod optimus successus histriōnalis fortasse minus ab ipsō ingeniō pendeat quam a praeſentī pathologiae propriae gloriā inopinatā fortuitāque. Ecquid, cōsciā iam totā fermē urbe inclūsī ūniū cuiusque tōnsōre expressariō pīlātāriō, ita iam in fābulā manēre potest Vudius ut nullī, nē sibi quidem, imbēcillitāte suā impudenter, immō carnelevāliter, abūtī videātur? Quod faciēns nonne eiusdem sit farīnae cuius Polliculus ipse? Profectō hīs scrūpulīs Vudius haudquāquam sōlus sineque auxiliō pungitur, quīn potius haec, ut in complūribus rēbus, aut ex librīs aut ex ore monitōriō colligēns in cōscientiam cīvilem quandam decōrulam congregabāvit praesc̄ipta plānē observāns magis minusve aesthētica, quae is quōdam sēnsū quasi corporeō callet. Quā prō nāscēntī cōscientiā haud scit an ipse Polliculō rē minimē praestet. Sē quidem discessūrum comminatūs est, nempe ad summum histriōnicae suaē fastīgium ēvectus, aliquamdiū et ipsī sibi fidem faciēns. Quō factō, Polliculus, sānē ad fallaciās mundānās perquam perspicācior, non sēmificiae cōscientiae morsū vacillantem sed potius vafrum subolēns stratēgēma, fābulae lūmen retinendī causā exemplō nec opīnātōque mercēdem haud exiguō auxit. Vudius, manēns, manifestus sibi vidēbātur abūsor opportūnus. Quod sānē in promptū fuerat in commodum suum vertit. Nonne autem, contrā omnēs piās expurgatiōnēs, hoc faciunt cūnctī? Sed tālia in aliīs, utpote a sē nimis

aliēnīs, suspectāta vērisimile est Vudium numquam sponte esse perpēnsūrum. Scit tantummodo haec: (I) “probōrum” in numerō esse, sī fierī potest, sē mālle et (II) imbēcillitatis abūsum ā probīs nōn prō bonō habērī et (III), contemptō omnī abūsū, flagrāre sē tamen dēsīdēriō, in speciem satis sincērō, fābulam hanc participāre quippe iam ita prosperantem ut sēcum reputet Polliculus num per ūram maritimam occidentālem circumferre eam velit ūsque tandem Angelopolim, scīlicet in omnium māximum monumentum potentiae mercātoriae fatuitātis abiectae. Sīcut igitur ūnus quisque artifex in negōtiō dēnique oblectātōriō versātur, ita ipsa Vudiī ūrnāmenta ballēmātica Diaghileviāna lautissima inlūstrissimaque, concinnitātis Neoatticae specimina, totiugīs iam annīs membra vestiunt ācroāmatis tabernāriī!

At quod laudātus palam, clam lūdificātus nebulō in pūblicō agnōscī aliōquīn piget abest tamen longē ā crīnītō istō integumentō Amerindicō quō secundum sententiam ā Zoltane modo ēnūntiātam illa nova oculāria (excantarē ālūcinanterque viridia) in sitū tenērī possunt. Nec dē fāmā agitur nec dē īfāmīā. Quod vexat est tōnsus Glopianus hoc temporis iūre meritōque dēlitēscēns. Vudius enim nihil adhūc in vītā didicit nisi sē aliīs, etsī plērumque modo Bohēmiā-nīs utpote paulō largiōribus, cautae dignitātis causā accommodārē. Quōmodo igitur potest tōnsuī, vel potius tōnsūs inopiae, acquiēscere velut clāmitantī quōquōversus hunc homunciōnem esse aut adrāsō capite Neonazistam aut mente tardātum...ac rē vērā, quia nec ātrām iaccam scorteam bullātamque gerit nec camīsiunculam “Laecasīn Tibi!” locūtiōne vel similī ūrnātam, hunc crīnibus orbātulum apertisimē esse cerebrō captum?

Quae ā cōnspeciālibus existimāta Vudius dumtaxat ex aliquot annōrum notatiōne animadversiōneque coniectāre conātur, quippe nixus commūnī arbitriō multō magis quam propriō rudiōre.

“Haec oculāria sunt longē tornātiliōra omnibus umquam permultīs quae contuitus sum! Quantīnam cōstant?”

Ad quae *At haec tibi gratis* labiīs tortuōsīs, oblātrātōrīs, negōtiola accommodāre solentibus ēlābuntur Zoltanī verba labiōrum quidem ipsī possessōrī omnīnō tam inopīnāta mīraque quam splendentium oculārium smaragdinōrum hīs verbīs dominō factō. Inter postque grātiārum āctiōnem incrēdulitāte paene suffōcātam, vultū sānē Vudiānō longē magis quam ūre ēmānantem, utrīque simul in mentem venit īsolitum: ipsam forsā huius fulgentis “prōdigii” perspicillāris excellentiam sēmimagicam “Zoltanī Praesentipecuniāriō” – quō nōnnusquam appellātur agnōmine – suāsse ut ab homine damnum capiat nōn ūnō tantum sed adeō duōbus mūneribus, Zoltanis quidem mēnsūrā, sat lautīs fultō.

Antequam utrī succurrat quid nunc prōferat – nunc nempe “Loquentia” ad Vudiī subcorticem silvodendriticum subsistunt nervum linguālem vix contingentia – animadvertisunt ambō spissigradam multitudinem diē Saturnī fīnis septimānae longī Diēī Memoriālis celebrantem hōrā iam Erīnyum prandiālium praeſuriōsē concrēbrēscētem dēhīscere tamen ante aliquam perīsolenter ūrnātārum fōrmārum pompam quae ab Aedium Mediārum latere occidentālī ēgredī vidētur modoque eiusdem aedificiī angulum praeteriēns, ā Vudiō Zoltaneque quadrāgintā ferē pedibus distāns, expedītō gradū Acum Cosmicam versus facessere. Prīmō putat Vudius sē illōrum carnelevālium Venetiānōrum versiōnem aliquam domesticam contu-

ērī ac sub aliquā ex persōnīs mordāciter inhūmānīs vesteque ēvidenter affabré cōfectā latēre forsā aliquem sibi nōtum collēgam; sed, pompā (quod esse iam appāret) prōgrediente, argūmentum Venetiānum cēdit alterī. Nam īsequuntur aliquot ōrdinēs petrulōrum, lautissimōrum scurrārum Francogallicōrum, habitū nīmīrum superciliōsōrum, quōrum quisque aliīs colōribus aliīsque fōrmīs atque, ut vidētur, aliīs ḍornātus est symbolīs. Quibus ex symbolīs Vudius, sibi sēcum aliquantum suscēnsēns quamvīs plānē sciāt Loquentia vim tantum satis pedestrem ministrāre, nē ūnum quidem agnōscit.

Pōne petrulōs cernitūr tandem sonōrum mūsicōrum īsolitōrum fōns, quī quidem, Vudiō incognitā causā membra cohorrēscente, iam antequam animadversus, rem ambiguam inter absurdum prōdigiumque variat. Incēdēns enim symphōnia ex bēstiīs cōstat deīsve bēstiālibus, crēbrō sed nōn ubīque omnīnōve Aegyptiīs in speciem, amplīs iniectīs vēlāminibus: canibus hīc aureīs, illīc hyaenā ūnā, illīc duōbus sīmiīs; nec dēsunt taurus et vacca, fēlēs, scarabaeus, libellula, accipiter, būbō, lacerta, phoenicopterus, corvōrum pār, rubecula, carpodacus, delphīnus quoque et cuiuspiam generis balaena. Hoc est, hōrum animantium cōspiciuntur saltem capita. Bēstiae enim, pariter ac petrulī, sunt affluentibus altī, ut vidētur, cultūs pēplīs amictae, singulīs ḍornāmentīs nesciō quid hieraticum subicientibus, manuum parī quōque aut digitābulīs intectō aut – ut in sīmiō, scarabaeō, lacertā nōnnūllīsque aliīs – appendice quāpiam bēstiālī perartificiōsē fictā capitālīque congruentī. Praesertim admīrābile est quod, inhabilī plānē veste, pompeus quisque īstrūmentō mūsicō exōticō suō perinde ac sī tōtam per vītam exercitātus solūtē paeneque ōtiōsē

canere callet. Quōrum īsuper īstrūmentōrum, praeter forte s̄yringem modo dispectam, Vudius nūllum nōmināre possit, quamvis complūra vel generātim trālāticiīs accēdant.

Arripit convulsē dextera ex aliquō loculōrum orbiculō nexōrum, quibus braccae fuscae praegrandēs aspectū aliōquīn nōn perūtileś obsitae sunt, ratiōnem hōrārum Fēstī Vitae Populōrum. Cui tamen dexteræ oculī per quāsdam corporis ambāgēs coniūntī sē vel ūnam secundam ā spectāculō rapidō sēvocāre abnuunt, praesertim cum possit iam iamque pompaē īstāre pars māxima.

Quō angustiārum mōmentō, tōtō super corpore pilulī sēmifēlinum in modum – quod quamvis scientālis doctrīna interdicere videātur – et altiōrēs horrēscunt quam antehāc; nam, sub deī tigridi-fōrmis tympanulum pulsantis basilicō in speciem satis Indicō, cum cēterōrum lateant mūsicōrum pedēs, conspicātur Vudius brevissimō temporis mōmentō – scilicet temporis spatiō quō incēdēns quispiam pedem modo levātum dēfert – ingentem, squāmōsum, ungulātum, ūrnāmentō simulacrōve haud similem pedem gigantēae avis!

Imprūdenter Vudius inhiāns ad Zoltanem vertitur, quī invicem, id quod sānē interturbat, in amīcum ūtiōsus respicit velut sī nihil māius quam scholae cuiuspiam superiōris incēdentem symphōniā aliquantum concinnam aspiciat! Ad Zoltanem autem ultrā ūiman-dum hoc temporis nōn vacat; nam īsequitur iam bēstiālem symphōniā autocarrūca Cadillācāria longitūdinis ostentātiōnisque distortae, immō Līberāceānae. Vehiculum sīcut est sumptuōsissimum, ita, contemptī paradoxē dīvitīis dignitātēque quās repreasentat, genere vagō, versicolōrī, coruscō, immō ps̄ychodēlicō est dēpictum, quō quidem Vudius mātris adulescentiae

prīmae, turbulentulae admonētur.

Īnscius ferē quid faciat ac mōre sibi peraliēnō, Chicāgēnsī scilicet – quam in urbem tantum bis, Loquentia tamen gerēns, advectus est, vidēlicet impressōrī mīmēticō satis saepe ad mōrēs nōvōs sibi oculāriter efficiendōs – corōnae sē īnserēns urbānitātisque paulisper imme- mor ulnātim sibi aperit viam quicquid potest sentīre intendēns per fenestellās illās prasinō colōre tam obscūrō tinctās ut nēmō vectōrum, nē gubernātor quidem ā fronte, ex Seattlēnsī āëre tam cottidiānō quam amoenē frigidulō, hōc forte temporis articulō nōn valdē aprīcō, ā merīs mortālibus cōnspicī posse videātur.

At mehercle vīdit aliquid modo? Iuxtā fenestellam, em, fōrmam? Ecquam faciem sēmioblīquam? Anne sibi finxerit? Panthērīnae dolō subcōnscientiae? Ita sānē, hoc profectō! Nam quod dispexit – vel potius quod sē dispexisse putat – longē nimis vidētur familiāre, immō domesticum. Frōns simul firmula et delicātula, venustula, mollicella. Oculī grandiōrēs avidī mōrōsī. Īmus nāsulus rotundulus, subductulus. Abundantia labra, quōrum īferius salāciter dēclīvum, quasi ad pōtum sāviumve.

Rēapse Zoltanī quoque, residibus tamen pilulīs, vidētur pompa īnsolita atque in Vītae Populōrum Fēstō singulāris. Quae forsitan aequanimitās haud sit sēcrēta ab animī inclīnatōne, annīs angulātim nec semper fēlīciter pābulandī cōfirmātā, in commodum ūsque proprium petendum. Duae quidem theōriae in animō iam fōrmantur, quārum sibi grātiōrem, plostellō multitūdinem Seat- tlītārum caffeam lactāriam sorbentium pompam versus lēniter fodicāns, nunc apud amīcum oculāribus zingibereō colōre tinctīs īstructum experīrī meditātur. Ac nōnne post Virtuālis Reālitātis

molestiam istam modo sustentam Vudiō aliquantillum mīrī dēbet?

“Vt opīnor egomet,” inquit laevam pōne Vudiī spīram capitālistīcum caput pannulō rubrō tēctus, “...Brambilla est. Dīcitur enim illa proximae septimānae concentū parandī causā iam in urbe versārī. Forsan sequentēs cognōscere poterimus aliquid: verbī grātiā, quō locō dēversētur nunc ipsa.”

Quod Zoltan haud scit an rēctē coniectātum sit. Brambillam certē oblectātrīcem opīnātur esse omnīnō tam variam occultamque quam eximiē immodicam – cui īnsuper, ubi unguēs resectī sunt, plūs in scirpiculō restet ingeniī quam plērīsque lūminibus populāribus tōto in corpore liposūctō inest. Madonnā est etiam effūsior, Michaēle Jackson aenigma fortasse māius. Evidēt edepol nēmō sēcūrē adfirmāre potest eam rē esse vērā mulierem; nam subinde in concentū cognōmentō “Brambillus Prīnceps” prōrsus vērisimilis prōdit – quāpropter ille “Quondam Prīnceps Vocātus” eī fertur lītem, adhūc in pendentī, intendere. Favet ipse Zoltan illī existimātiōnī pūblicae “Theōriā A” nuncupātae, scīlicet fēminam esse Brambillam Brambillumque Prīncipem eandem esse sē prō virō gerentem, contrā “Theōriā B” semper tamen populārem, Brambillam esse rēapse virum sē prō fēminā gerentem Brambillumque Prīncipem esse virum sē prō fēminā gerentem quae sē invicem prō virō gerit, contrāque “Theōriā C” involūtiōrem quidem sed haud temere excutiendam, fēminam esse Brambillam sē prō virō gerentem sē prō fēminā gerentī Brambillumque igitur fēminam prō virō prō fēminā prō virō, necnōn et “Theōriā D” (propter illīus artem ingeniumque, Zoltanis quidem sententiā, longē minus probābile), scīlicet gemellōs esse eam, “E”ve “Theōriā” imprīmīs heterodoxam ideōque in praesentī

Campīs Nivātēnsibus pignore locūplētissimam (quod ante Brambillae mortem autopsiamque aut, quod minus vērisimile, eiusdem autoapocalypsin sub iūdice manet), scīlicet et Brambillam et Brambillum ūnicum esse hermaphrodītum īnsolitē tolerābilem. Zoltan, quī ex temporibus autobiotāriīs suīs contrā frātrem Petrum lūcripetiōrem, vel lūcrihabentiōrem, rebellet eādemque dē causā epitheta velut “būrgēnsis” “mōrum”ve “prīscōrum fautor” haud patiātur, nihilōminus E Theōriae ultrō resistit, forsan quia haec ā quādam suā Veteris Mundi decōris observatiōne iamdiū ūnā cum capsicī annuī particulīs in artēriārum īstrātō sibi, velit nolit, inhaerentī abhorreat.

Vtcumque rēs sē habet, Zoltan, quā est rudi benignitāte, tam inlūstris lūdiae propinquitātem, vel propinquitatis opīniōnem, amīcum utīque dēlectatūram spērat. Cum sit mūnere et Vudius oblectatōrius neque ipse quidem spernendus, ecquis congressum huic cum illā ex tōtō exclūserit?

Haec sēcum sē ipsum purgāre temptantia reputāns videt subitō Zoltan portentum ā nesciō quō deō daemoniōve repēntīnō incussum. Nam, acceptīs verbīs Zoltanis, amīcus, nūllō aspectū ā Caddillācā caleidoscopicē coruscantī remōtō, oculāria viridia thēculā extracta pernīcī mōtū, quō brevius dētegat oculōs, Loquentibus iam mūtāvit. Estō, Vudiī nōn familiārēs – hoc est, cēterī fermē omnēs Sōlis tertium ūrdine planētam habitantēs – ab hōc homine lentibus tinctīs tinctās lentēs alterās super ūre repōnente indubiē haud valdē commovērentur; ita autem est Vudiō Zoltan necessārius ut tālis āctiō in illō nē cōgitārī quidem posse videātur. Vt plēriūque Vudiī fercula oculārium lentiumque adhaesīvārum ūrdinibus replēta īstitōris apparātum esse reantur, sīc Zoltan scit nīl nisi pȳramidem esse quam

amīcus vigintī iam per annōs dē vertice in īmum versus cōstruit, quā ille sē tāctūrum esse spērat aliquandō terram. In culmine est pārculum cummeum oculārium lūdicrōrum flāvum, “Flāvula” sīve “Opitulātōrium” nōmine, quod quidem Vudiō hoc temporis sat male sedēret sī forte esset eī causa induendī. Quibus Flāvulīs utcumque adiuvantibus, Vudius mundum hominis sapientis, qui dīcitur, speciēi quōdammodo suae, prīnum bene dispicere potuit. Quō adeptō animī cōspectū novō inopīnātissimōque, et ulteriōrēs exoptāns vīsiōnēs – sīve “phantasiās,” quās dīcit ipse – iam dūdum lentibus tinctīs “capere” solet.

In diēs annōsque anthrōpoīdior, nē dīcamus urbānior, Vudius sē ad classēs phantasiārum semper novās efficācius armāre didicit ut cuique novō lentium pārī māior īnsit potentia “phantastica.” Zoltan, ut minimē psȳchologus nec tamen ūllātenus īsipiēns, haec omnia sibi interpretārī cōnāns Vudium arbitrātur memoriā eidēticā nōn sōlum librōrum pāginās scaenāsque urbānās et tabulās numerīs cōnscrīptās atque effūsōrum bacillulōrum stīriārum dulcium struēs per oculāria colōrāta “phōtographāre” sed etiam tālia quālia āctiōnēs, perītiās, habitūs animī, mōrēs, immō nōn tantum hās rēs sed rērum complūri- um compāginēs prope integrās.

Dēcurrū temporum Vudius, potestāte frētus rērum compāginēs animō phōtographātās in ūnum coniungendī inque lentibus, ut quidem vidētur, recondendī plūs septem iam ūrdinēs pȳramidis deorsum tendentis adhūc cōstituit, quibus nunc ducenta sex et triginta pāria īnsident. Alia post vīgintī addita ultimus erit octāvō ūrdinī lapis impositus. Ūrdinēs īferiōrēs, quippe recentiōrēs, multō saepius quam cēterī in ūsū versantur. Praeter occasiōnēs īsolitās regressiō-

nēsve ex industriā factās, ut in partibus Glopiānīs vel in Lūcis scrūtātiōnibus therapeuticīs, haud est Vudiō causa lentēs obsolētās in ūrdinibus superiōribus positās in manūs capiendī. Tōtum autem lentium thēsaurum tergō in omnēs partēs trahere solet proptereā quod immūtābilis rītūs necessitās postulat ut omnia pāria ūrdine prius pernumeret quam, exūto pārī priōre rīmulaeque ad iūstam notam īsertō, alterum pār ēlēctum, notam congruentem ubi assequitur, capiat induatque. Quondam vērō, cum Zoltan, cūriōsulus homō, Vudium interrogāvisset cūrnām hoc faceret, hic satis quidem probābiliter respondit necesse esse mentem miseram suam rīte commonefacere ubi iam tōtam per vītam ex octāvō suō annō fuisset quōque nunc pergeret; quā in ratiōne cōnfusiōnem etiam minimam haud scīre sē an māximō dētrīmentō vel adeō perīculō fore sibi. Hās autem explānatiōnēs suspicātur interdum Zoltan esse forsā ex post factō per ratiōcinium excōgitātās vērāsque causās in Terrā Ligneā accidentium tantum Vudium quantum cēterōs fallere.

Quā tamen in mediō relictā quaestiōne, quod Vudius inaudītum in modum lentium ēnumerandārum rītum remīsit nec, contrā lēgem ferream priōrem, spatium quodquam sūmpsīt ad animum praeparandum adeō Zoltanem conturbat ut is quoque aliquid penitus contrā mōrem, immō contrā suum ipsīus commodum, facere adducātur. Quippe, ubi Vudium oculāria viridia nova gestantem laxātīs habēnīs Cadillācam curriculō pōne persequī videt, neglectō plōstellō, amīcum persequitur invicem. Tantum post trīgintā quadrāgintāve gradūs inter multitudinem serpentēs sēmitolūtim factōs, animadvertēns Zoltan nōn Vudium ūnicum prāvē agere, iter statim convertit ad modum victūs suī praeſentem, undā repente vectus

adrēnalīnī.

Taberna mōbilis vidētur esse intācta, quamvīs, magnae possessōrī sollicitūdinī, rotulīs iam lentē lābātur velut sī aliquis vel aliquī eam offenderint. Gubernātōris statiōnem occupāns, adopertīs paucīs forāminibus quae anteā laxāta, ad Acum Cosmicam pompamque iam ē conspectū abeuntem versus repetit gradūs, turbam, Mōysī nōn dissimilis, ante sē dīvidēns nōn baculō quidem magicō sed būcinulā pneumaticā ante aliquot mēnsibus plostellō affixā, quam autem adhūc tam rārō adhibuit ut iam sē saepiculē rogāverit quānam dē causā ēmerit – etsī sānē hoc nunc tandem liquet. Etiam opem ferente būcinulā, facilit tamen Zoltan iam prōruēns ut calcī nōnnūllī īsistātur prōsiliatque dē cōnulō edūlis passim glaciēs, velōcitātem autem plūs minusve, ut quidem raptim vidētur, innocuam tenēns, aspectum simul effugientis vītāns fūris.

Nōn ante attāctum Acūs Cosmicāe aditum raedārium dispicit itērum pompam. Pōne Cadillācam multicolōrem iam sub trāminis ūnilongūrii viaeductū ēlātō dextrōrsum in Strātam Lātam flectentem sequitur grex scurrārum variē nūgantium – nōn tamen petrulōrum, quī iam ē cōspectū abiērunt. Nōnnūllī in speciem pūpārum sunt indūti quōrum paucōs Zoltan ut persōnās “cōmoediae artis” agnōscit, nam in superiōre Fēstō Vītae Populōrum ipse pūpārium quendam Rōmānum huiusce generis cōmoediam agentem convēnit – immō perdiū sermōnēs cum illō seruit.

Mīrābile vīsū, vigilēs pūblicī multitūdinem custōdiunt, obstructā pompaē causā Strātā Lātā. Suspicātur Zoltan hanc pompulam sī nōn cum Brambillā ita certē cum summāte aliquō māximā auctōritāte vigente esse coniūntam. Prōrsus enim incrēdibile est quod tempore

fēstīvō Strātā Lātā commeātus pūblicus dēflectitur – nec minus invē-rīsimile quod eōdem tempore per Centrī Seattlēnsis āreās pedestrēs autoraedam agī concēditur. Anne initum sēnsōrium, ut dīcat amīcus, occultum aliquid permiscet?

Circumsaltantēs ad figūrās rapidē dēfertur cum plostellō Zoltan, cuius būcinula pneumatica aspectusque singulāris – scīlicet plostellī ātrī speciēs stēllārum planētārumque et sīgnōrum zōdiacōrum imāginibus acrylīcīs sat vīlibus dēpictī necnōn symbolīs aliīs variīs pro mysticīs habendīs atque anthrōpographīīs nostalgicīs velut Plōtīnī Piīque Vīi Hērmānī – efficiunt ut sē sat bene immisceat in modum currūs trāminī onerāriō moderantium pompam finiēns. Necessitātī cēdēns artis oblectātōriae, ambitū nunc dextrōrsum nunc sinistrōrsum properat simul arrīdēns corōnae, in quā nec capillāmentum Amerindicū neque oculāria usquam cōspiciuntur viridia, būcinulāque sonat ipsum in numerum modōrum mūsicōrum ēmānantium ā symphōniā dīmidium iam spatiī ad Denniam Viam prōgressā. Iactāret quoque manū ad spectātōrēs, nisi ambābus manibus, labōrem iam tacitē sed vehementer conquerentibus, ad gubernandum esset opus.

Sequitur per Strātam Lātam ūsque ad Prīmam Viam pompam, quae ad angulum, ad oriente commodum Favōniō, palliīs vestibusque in trānsversum reflātīs, sinistrōrsum in Campānodūnum iam flectitur. Vltrā Viam Denniam dēcrēbrēscit iam vulgus neque hūc ad hoc mūnus convēnisce sed in fēstum praeципuum prōcessisse vel tantum in tabernīs esse versātum vidētur dōnec huiuscē spectāculī animadverterētur accessus. Cūriōsissimī autem rāriōrēs super interiōrem crepīdinem ā tergō segniōrum accelerant gressum vel etiam tolūtim currunt, vidēlicet, sīcut fortasse et amīcus in praesentī

deerrāns, ut rem mīram ūsque terminum assequentēs dē vērā eius nātūrā indicia inveniant.

Prīmā iam in Viā intenditur pompa vēlōcitās, quō plūs quadrāgintā annōs nātus īstitor – quamvīs sānē nōn pessimī habitūs, ita tamen ex saccharīs multiplicibus ē vīnī spīritūs solūtiōne existentiībus magnā ex parte cōnstitūtus – subrīsum fēstīvum super ōs precārium fulciēns, brācchiōrum questuī nunc iam generālem addēns, tribus quattuorve linguīs inter dentēs profāna prōfert. (Extrā linguam Neoanglicam Hūngaricaeque vestīgia, callet Zoltan noster et aliquantum Hispānicae triviālis necnōn satis linguae Klingōnicae ut quōsdam ex adventōribus suīs movēre queat atque in quibusdam dēverticulīs nocturnīs speciālī studiō dēditīs sē bene habeat.) Auctīs mūsculōrum tormentīs ad fastīgium conversiōnis in cultum deī cuiuscumque levāmentum mātūrum praestantis, Zoltan, adeō cesāns ut festīvitātis particeps lēgitimus nōn iam habērī perīclitētur, pompam nunc videt, cursū trānsversam in viam aliquam dēflexō, īferius in saeptum statīvum ūnīus ex novissimīs, celsissimīs, bracteātē postmodernissimīs multizōniīs Campānodūnēnsibus ex oculīs ēlābī.

Zoltan ad aedificium accēdēns amīcum tandem videt dextrā aditūs cum custōde colloquentem. In arbitrium modo veniēns audit, quod haud inopīnātum, Vudium intus admittī perineptē precantem. Custōs, Vudiī dispar, congressum eōrum nōn valdē in sēriūm convertere vidētur; nam rigidō vultū vigilārī efflōrēscere temptat subrīsulus.

At, subitō tumidus, Vudius capillāmentum exuit, quō prōditur tōnsus ille, īstructōris centuriae militum cuiusvīs summum oblectāmentum.

“Glop,” inquit, “Vudius tibi dīcō!” histriōnicō ēnūntiāns fulgōre.

Custōs tamen nīl referēns vidētur, prō officiī suī dignitāte, abstinentiam ā cachinnō aegrē restaurāre. Porta lāpsīva interim dēlābēns Zoltanem quoque, ob hoc dīverbium crepīdināle obturbātum, saeptō raedāriō exclūdit.

“Ignoscās quaeſō mihi...” inquit vōce quam cōfidentissimā, interiiciēns simul verbīs spatia nē sē anhēlum prōdat, “...ego quoque tardāns...sum pompa...quīn fuī.”

“Itane?” inquit vertēns sē custōs ad Zoltanem dum ab irrīsū tēctō in bonitātem neglegentem fugiēns subrīsum sibi dispānsiōrem permittit, “Sīs schidulam ostendere.”

Zoltan post cōnātum ad speciem factum chartulam sēcūritātis et in lacīniārum loculīs et per tōtūs plostellī forulōs pvestigandī – quod quidem nīl amplius efficit quam ut custōdī et alia fābella sumministrētur quā collēgās in conclāvī familiārī vacantēs dēlectet – sē dēdit. Sed ubi sē vertit amīcum appellātum, hunc nōn iam videt. Oculīs exquīrēns iūvenem mox cōnspicit sēmicalvum oculāribus smaragdinīs ḫornātum, crīnibus contextīs iam nōn capite sed manū incautulē pendulīs, adversus clīvum paene in Prīmam reversum ūnā cum aliquot adulēsentibus quōrum cultus inter Gothicum Sordidumque variat quīque, custōdī dissimilēs, persōnam scaenicam Glopīānam manifestō cognōscunt. Cum Zoltan, operōsē adversō clīvō prōpulsō plostellō, adulantium adulātīque symplegma dēnique assequitur, sunt iam concessa chīrographa quaedamque ex fēmellīs, panniculīs iniecta incolōribus atque ita fūcāta ut illud praecipue temporis mōmentum inter merum pallōrem et rigōrem plēnum mortis accidentem admoneat, verba effundit dē mentis retardātiōnis significātiōnē reconditā “nōs”que “omnēs” quōdammodo retardātōs

esse assevērāns, dum Vudius, ex urbānitāte distractē subridēns, in caelum ūsque suspicit. Immō nōn in caelum, sed forte in ipsīus turris fastīgium.

Postquam Gothisordidulī cōmiter appellantēs abeunt Vudiusque ā multizōniō oculōs tandem abstrahit ut subrīsus cherubīcī Glopiānī exemplar īsolitē praecox, immō ferōx, ad Zoltanem prōmicet, hic quoque aspectum in altum referēns appropinquat. Praeter auram quandam lūcidam flāventemque, quae summā ex appendice ēmānāre vidētur, flāvidāsque nūbēs modo sibi Vudiōque impluere incipientēs, adumbrātum prōspicit notābile nihil.

“Haud sciō an perperam dixerim,” inquit quam neglegentissimē potest Zoltan, “...scīlicet pompam cum Brambillā esse iūnctam.”

Īlicō horrendiōrēs quam umquam anteā in amīcō vīsī oculī, nunc subviridēs per lentēs paulō callaīnātī, ad Zoltanem vertuntur. Quōs sī hunc verbīs dēpingere oportēret vī aliquā prehēnsōs dīceret.

“At minimē, Zoltan, quicquam falsī mihi dīxtī!”

